C. B. D.

LAVDABILIVM POLITICORVM,

ex Iustino,

PARS PRIOR,

Quam

DEO ANNVENTE,

Exercitatione Academica

SOLENNI,



Præside

VIRO,

Plurimum Reverendo, Excellentissimo, Clarissimo,

DN. IACOBO SCHALLERO,

SS. Theol. Doct. & Philosophiæ Practicæ Professore celeberrimo, h. t. Collegii Philosoph. Decano, Patrono & Fautore suo æternum honorando,

in August. d. 20.

Respondendo tuebitur

AVGVSTVS FRIDERICVS MOCKELIVS, Natus Halæ.



ARGENTORATI,

Typis FRIDERICI SPOOR, Anno M. DC. XLIX.



Magnifico, Nobilissimo & Amplissimo,

VIRO,

DN. ANDREAE BURCKHARDO, ICTO,

Sereniss. & Potentiss. Principi ac Dn. Domino EBERHARDO Duci Wurtenbergico &c. à Consiliis Secretioribus, eiusdemque Sereniss. Celsitudinis Cancellario,

Patrono meo,

Summa observantia colendo,

Laudabilia hæc Justiniana,

Devoti animi, debitæq; gratitudinis Monumentum

L. M. D. D. C.

Augustus Fridericus Mockelius,
A. & R.





Ræstitit, VIR NOBILISSIME, JUSTINUS nobis opus maximè bonum & utile; dum TROGUM POMPEJUM, cuius scripta temporum iniuria interciderunt, tam facili & candido stylo in Epitomas contraxit, quas tam accuratè composuit, ut vix aliquid desiderari possit. Studuit enim maximè veritati rerum, neque dum res maioris momenti omittit, posuit minutias; sed ut verbo dicam, omnes ad circumstantias diligentissimè respexit. Qũu ergò inter alios scriptores ad hunc quoq; adductus, perspicerem, quantus rerum thesaurus JUSTINI copiosissima brevitate cõtineretur, haud inutile duxi, ex dimidia eius parte (altera fratri relicta) unum alterumve locum; qui mihi maximè placebat, in ampliorem campum deducere, quædamque de iis in modum disputationis conscribere: quod tamen imbecillitatis meæ mihi optime conscius, vix conatus essem, nisi *Ampliss.* quoq; *Dn.* BOECLERO, *patrono & præceptori meo æternum honorando, Professori iam* REGIO, dum adhuc Academiam hanc incomparabili doctrina sua præsens illustravit, visum fuisset id laboris mihi

hi iniungere, non quidem ut pari, ſed cui ex optimo conatu laus petenda eſſet: hoc ſi promtius fortaſſe, quam mea virium tenuitas ſuadebat, ſubierim, non ideò reprehendendus videor, quippe qui ad perfectiora quoq; hac via contendere ſtudeo. Hoc igitur, VIR NOBILISSIME, fretus benignitate tua & beneficiis in parentem collatis, qualecunque ſtudiorum meorum ſpecimen grata piaque mente, ſimplicique propoſito ac formula NOBILISSIMO NOMINI TVO, inſcriptum eo atque dedicatum: Scio enim TE ſolere præter eas quoque curas, quas optimis maximisque Principibus commodas, & litterarum & elegantiorum ſtudiorum meminiſſe. Cæterum rogo, quæſoque, NOBILITATEM TUAM, ut his, quæ tum in ſtylo, quam cætera tractatione à me errata ſunt, benevolentiæ & humanitatis Tuæ patrociniũ commodes. Accipe ergò VIR SUMME, iſtam voluntatis meæ declarationem ſolita lubentia atq; comitate, officiumque hoc meum, qua es humanitate & erga amicos facilitate benignè interpretare. Dabam Argentorati, die 29. Auguſti, Anno M. DC. XLIX.

Magnif. Nobiliſſ. Amplitudini Tuæ,

Omni obſervantia addictiſſimus
Auguſtus Fridericus Mockelius.

LAV-

LAVDABILIA POLITICA EX JVSTINO.

De *Epitomatoribus ad Præfationem Iustini.*

SCripsit Justinus *Epitomas in historiis majores Trogi Pompeii* : ex quibus Epitomis nunc excerpendo aliqua constitui observare. Hac itaque occasione fuerit videndum de Epitomatoribus huiuscemodi. Nonnulli enim institutum breviandi majora opera reprehendunt, & Epitomatores tales objurgant. contra quos disputat *Claudius Salmasius in præfatione ad Lucium Ampelium*; cuius præter cetera hæc sunt verba: *De iis, quibus apparet hanc animi mentem fuisse, ut pro auctoribus legerentur, quos compilaverant aut abbreviaverant, videndum, an omnino hi extra culpam. Non nemo certè eas accusat, reosque peragit illius incuriæ, quæ tot præclaros nobis abstulit scriptores. Ego verò Epitomatores, & omnes eiusmodi breviariorum compositores, & compilatores centonum, non adeo litteris censeo nocuisse, ut autumant nonnulli. Quod enim ita existimant, eos in causa fuisse, cur ipsis auctoribus, quos abbreviarunt, & excerpserunt, careamus, ego in alia sum sententia. Ea socordia fuit illorum temporum, quibus barbari litteratum & Romanum orbem inundare cœperunt, ut nisi extitissent, qui nobis has tanquam ex naufragio tabulas servarunt, certum sit, nihil prorsus ex illorum monumentis ad nos fuisse perventurum. Atque præstat hæc qualiacunque nos habere, quam nihil. Malo certe, quod* pag. 290.

ad me attinet, sic eos maiore sui parte esse deperditos, quam si toti funditus periissent. Qui reliquias sanctorum corporum consectantur, ac studiose religioseque eas requirunt, satis habent, si vel uno ossiculo potiri queant. Beatiores certe se judicarent, si totum corpus alicunde nancisci possent. Hoc cum non liceat, saltem eo, quod licet, contenti sunt. Ita ergo nos affectos esse oportet erga illas veterum reliquias scriptorum, quæ nobis remanserunt, gratiamque illis habere, nisi maximè ingrati velimus esse, per quos eæ hoc qualiacunque modo ad nos salvæ fuere transmissæ. Est etiam, ubi propter socordiam lectórum talibus introductionibus vti consultum videbatur. ne dicam de vario usu quem tales epitomæ præstant. Possis huc referre illud *Martialis* Epigr. XIV, 2.

Lemmata si quæris, cur sint adscripta, docebo.
Vt, si malueris, lemmata sola legas.

Peccasse interim aliqua tales epitomatores vel imperitè excerpendo, vel aliis modis, nemo planè negaverit.

Regna antiqua.

Justin. l, 1. TRadit Justinus in principio operis sui, regnum fuisse antiquissimum & usitatissimum imperii genus; cum quo & alii plures consentiunt. *Aristoteles* dicit; *primum & divinissimum esse Principatum*: quod etiam *Cicero* affirmat: *omnes antiquas gentes regibus primum paruisse*: *Sallustius* inquit: *in terris nomen imperii primum fuisse.* Ad id autem nemo *ambitione*, insidiis & malis artibus pervenire debebat, *sed spectata inter bonos moderatione*, & virtutis merito viro probo deferebatur. Erant autem, quod amplius notandum est, imperia illa potestate plena, ita, *ut arbitria Principum pro legibus essent.* Quare *Tacitus* inquit: *Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna, aut coercitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetebantur.* Talibus regnis justitia præsidium & ornamentum assignatur, *nam fines imperii tuebantur magis, quam*

IV. polit. 2.
III. de legibus 2.
in Catil. c 2
Annal. III, 26, 1, & 2.

pro-

proferebant,& intra suam cuique patriam regna finiebantur. Ceterum in descriptionibus eiuscemodi antiquorum & heroicorum regnorum subest falsa hypothesis: quasi homines quodam tempore sua sponte, sine probro, sine sceleribus, sine legibus vixerint. Contradicunt enim *Aristoteles X. Ethic. Nicomach. cap. ultimo*; & descriptiones antiquissimarum gentium. e. g. *Aboriginum apud* *cap. 6.* *Sallustium in Catil. Libycarum gentium apud eund. in Iugurth. &c.* *cap. 18.* Videntur etiam confundi à nonnullis leges scriptæ cum non scriptis. Interim tamen comparatio sæculorum mediorum ac deteriorum adhuc locum habet, & ad historicam veritatem accommodari potest.

Semiramidis imperium sive imperium muliebre.

Potest hic quæri de jure, quo Semiramis regium munus usurpavit. *Iust. l. 1. c. 2.* Videtur autem Semiramis defendi posse, quia immaturo filio tradi regnum sine periculo ruinæ & interitus non poterat. Fuerit itaque stimulus Heroicus, amore boni publici, & conscientia magnæ virtutis armatus in Semiramide: quæ mulier non feminas modo virtute, sed etiam viros anteivit. Interim Semiramis hoc unum nunc argumentum politicis suppeditet, non deficere naturam, quantum ad virtutes rerum gerendarum attinet, etiam in hoc sexu; qui sicut ad imperium invitari aut ambitiose expeti non debet, ita sæpe nullo jure potest excludi. Objiciunt quidam politicorum apud Lipsium; sexum muliebrem imbecillem & imparem esse laboribus ac rebus gerendis. Sed sciendum plurimas quoque mulieres esse, quæ dotibus ingenii ac corporis optimè instructæ sunt. Sicut aliquot egregia exempla illustrium *Plutarch.* & virilium feminarum *Lipsius in monitis suis politicis* nobis com- *de fem. il-* memorat. Cæterum disputationes politicorum in hac materia *lustr.* facile definit lex & mos Rerumpubl.; nam quæ ab ipso sexu pe- *Lib. II, c. 2.* tuntur argumenta, quæstionem juris non attingunt.

Regnum Sardanapali & Astyagis, sive de causis destruentibus regna.

5.Pol. c. 12. POlitici ad duo inprimis capita referunt ea, quibus destruuntur
dominationes: si vel contemtus, vel invisus sit, qui domina-
Just. l. c. 3. tur. Contemptibilis principis exemplum grande est Sardanapa-
lus. His enim à quibus maximè despicitur Princeps, contempti-
Lips. polit. bilem se fecit. Forma, *quod plebi reverentiam omnem excusserat,*
IV, 12, 17. *& licentiam prabuerat peccandi:* dum raro à viris visus quotidie in
Tac. histor feminarum turba habitavit: quod rerum omnium incuriosus *levi*
II, 59, 3. *auditu, quamvis magna transmiserat:* sicut cũ audivisset ab Arbacto
præfecto Medorum bellum sibi imminere, non vir regnum defen-
surus, sed ut metu mortis mulieres solent, primò latebras circum-
spexit, mox deinde cum paucis & incompositis in bellum pro-
Tac H. II, gressus est: *quod etiam abunde ratus, si præsentibus frueretur, nec*
95, 4. *in longius consultabat:* quod denique *munia omnia transmiserat,* ut
Tac. Ann. 4, 41, 4. velut sponte videretur exire de imperio. Fortuna quoque non
solum ipsi haud parvum contemtum paravit, dum ab Arbacto
Just. l. 1, c. 13 prælio victus est. Sed mores etiam eius ita effeminati, ut inter
scortorum greges purpuram colo neret, & muliebri habitu, cum
mollitia corporis & oculorum lascivia omnes feminas anteiret,
ipsum maximè contemptibilem reddiderunt; quæ tamen mulie-
Tac. H. III, bria valde opinionem non regis modo, sed viri detrahunt. Quod
36, 1. deinde etiam imitatus *ignava animalia, quibus si cibum suggeras,*
jacent torpentque, & præterita, instantia, futura pari oblivione di-
mittunt. His ergo maximum contemtum sibi imposuit, ut et-
iam tandem vita & regno exutus fuerit.

Just. l. 1, c. 4 Odium verò adversus dominantes, quomodo consurgat,
& seqq. Astyagis exemplum docere potest. Paravit enim id sibi per vi-
tia, præcipuè quidem sævitia sua & rigore. Per sævitiam, quia in
puniendo modum non habuit, dum nepotem filiæ suæ, ne succes-
sorem haberet, crudeliter interfici mandavit, & Harpago quoque
amico suo infestus, in ultionem servati nepotis, filium eius inter-
Senec. l. de fecit epulandumque patri tradidit, *cum tamen parsimonia esse de-*
Clement. *beat etiam vilissimi sanguinis.* Rigore odiosum se reddidit popu-
lo, quia plane nullas voluptates ei concesserat, sed semper magnis
eum

eum laboribus premebat; cum tamen quædam subditis permittendæ sint, ut in meliori obedientia retineantur; puta in ludis & huiusmodi receptis voluptatibus: videmus enim *ne majores quidem spectaculorum oblectamentis abhorruisse.* *Tac. Ann. 14,21,2.*

Cyrus Regni Persici conditor.

Vidimus hactenus, quibus rebus imperia destruantur & egregia eius rei exempla Sardanapalum & Astyagem habuimus; nunc Cyrus nobile exemplum constituendi imperii nobis occurrit. Attulit enim is ad condendum imperium notabiles ingenii dotes & animi artes: nam ingenio fuit fere heroico & singulari, quòd in pueritia statim exsplenduit; sicut cum inter ludentes sorte rex delectus, contumaces per lasciviam verberibus affecisset, à rege accersitus interrogatusque, cur id faceret, tanta constantia respondit, se fecisse ut regem, ut Astyages valde eam admiraretur. Prudentia eius eximia, *quæ imperantis propria & unica virtus*, & sine qua imperium non solum infirmum, sed nullum est, ex eo apparet, quod magnis cœptis egregios adiutores legit; habuit enim Sybarem servum cuiusdam Medi, tanquam divinitus sibi ostensum, comitem in omnibus rebus: ita nec minus etiam Harpagus ipsum adiuvit; dum ab Astyage acceptum exercitum statim Cyro per deditionem tradidit, ut eo facilius Astyagem regno eiiceret. Deinde quod populum comitate & beneficio sibi conciliavit, dum splendide epulas ipsi apparavit, promittens simul si se sequeretur, semper talem vitam acturos. Ostendit autem prudentiam suam etiam in eo, quod nihil aggressus est, nisi rebus ante præparatis, quippe non prius quam convocato & conciliato populo Medis bellum intulit, quod deinde quoque adiutores consiliorum præmiis & honoribus affecerat, sicut Sybarem socium cœptorum, quem Persis præposuit, & sororem suam ei in matrimonium dedit. Deniquemagna eius prudentia fuit, quod apud victos res egregiè composuit: quemadmodum Lydis victis arma & equos ademit, iussitque caupones, & ludricas artes, & lenocinia exercere, ut gens quondam industria potens virtutem pristinam perderet, nec amplius deficere & bellum reparare tenta-

Iust. l.4. *Iustin l.5.* *Aristot. 3. Polit. c. 3.* *Iustin. l.6.* *Iustin. l.7.*

ret. Fortitudo & virtus militaris altera veluti manus fuit, quam admovit Cyrus tantis operibus, quippe sine qua imperium vix comparari & conservari potest: *fortibus enim viris natura omnes terras aperuit, & eorum omnia sunt.* Fortitudinem autem suam maximè in his exhibuit, dum Astyagem & Crœsum bis vicit, qui secunda vice ipse captus est, Lydos etiam iterum superavit, imo tota Asia subacta & universo oriente in potestatem redacto, à Scythis quoque victoriam reportavit; itaque per 30 annos admirabiliter insignis regnavit.

Tac. H. IV, 64, 6. Liv. V, 36. Just. l. 1, c. 7 & 8.

Sed clementia quoque eius non minus insignis fuit, *quippe quæ maximè principem decet*, quia ipsum amabilem, firmum & illustrem facit; Primò enim adversus Astyagem ipsum maximè mitem se præbuit, dum capto nihil aliud, quam regnum ademit: nepotemque in illo magis quam victorem egit eumque maximæ genti Hyrcanorum præposuit. Deinde in Cræso quoque magnam clementiam exercuit, quæ non minus victori, quam victo utilis esse solet: nam Cræso capto nihilominus & vita & patrimonii partes & urbs Barce concessa sunt, ut in ea etsi non regiam, proximam tamen maiestati regiæ vitam degere posset. Huius clementiam cum laude imitati sunt Julius Cæsar, Octavianus, Vespasianus, Titus, Carolus Magnus, Ludovicus duodecimus, & alii, qui inter præclara clementiæ exempla numerantur.

Senec I, de clement. 3. Just. I, 6.

Dominatio Magorum.

CYro postea regi prudentissimo, fortissimo & clementissimo successit filius Cambyses; qui cum seipsum casu interemisset, Magus quidam Mergidem, cui regnum debebatur, prostravit, & cupidus regni, sicut natura hominum avida imperii esse solet, ut semper quidam reperiantur, qui vi & dolis imperium adipisci quærunt; in locum eius Oropasten substituit, quia lineamentis & oris & corporis ipsi persimilis erat: sic Magi regnum Cyri adepti sunt; qui etiam ad favorem populi conciliandum, tributa & [illegible] vacationem in triennium permiserunt. Quamvis autem largitionibus imperium cœperunt, tamen experti, *imperium vi quæsitum non esse diuturnum.* Nam ea res mox

Just. I, 9. Curt. 10, 2, 7.

Ostani

Oſtani viro nobili ſuſpecta fuit, quarè cum per internuntios ex filia totam rem comperiſſet, cum aliis coniuratis Magos interfecit: ut adeo poſtea regno recepto ſorte iuſtus princeps eligeretur.

Zopyri factum.

CVm Darius, qui ſorte ex 7 interfectoribus Magorum rex declaratus erat, contractis in unum copiis vigeſimum iam menſem inexpugnabilem Babyloniam, quam Aſſyrii poſt defectionem expugnaverant, circumſediſſet: (Babylonii enim metu obſidionis mulieres ſuas paucis exceptis, omnes ſtrangulaverant, ut viris militaribus uberior commeatus ſuppeteret; excubias ſtrenuè obibant, & omnia ad ſufferenda diuturnæ obſidionis incommoda pridem comparaverant) Zopyrus unius de interfectoribus Magorum Megabyzi filius urbem viribus cunctis ſuperiorem dolo cepit. Naſo enim, auribus, labiisque præciſis, & coma deformiter circumtonſa ad urbem perrexit, ſubinde reſpectans, tanquam verè perfuga, ibi introductus fidem fecit Babyloniis, à Dario ſe contumelia iſta affectum. Mox trucidatis ex compoſito aliquot Perſarum turmis, transfugio adjunxit gloriam. Sic cuſtodiæ urbis præfectus, Dario eam prodidit. Solent Philoſophi de hoc facto Zopyri disquirere, an juſtum fuerit. Plerorumque ſententia, qui hanc hiſtoriam deſcribunt, eo tendit, ut potius laudare id factum conentur, quam vituperare. Plutarchus in Apophthegm. ideo ipſum virum bonū appellat, & commemorat, Darium hanc ob cauſam ſæpenumero dixiſſe, ſe malle integrum habere Zopyrum, quam centum Babylonibus potiri. Herodotus refert, Darium ipſum ob id factum egregiè etiam remuneratum eſſe. Sed tamen, ſi rem recte perpendimus, Zopyrus vituperandus potius eſt quam laudandus. Propoſitum quidem eius bonum fuit, ſed honeſtas propoſiti non ſtatim facit rem honeſtam, niſi honeſtè tractetur. Poſſet hic objici, nulla alia vi Babyloniam potuiſſe capi: ſed ibi ſciendum, *nullam fidem neceſsitate ad fallendum cogi; & præterea fraus diſtringit non diſſolvit periuriu.* Quare minimè audiendi illi ſunt, qui Zopyri factum à reprehenſione remotum aiunt: neque enim fides eius in regem, perfidiam in eos, ad quos confugerat, excuſat. Sy-

Iuſtin. Li. 1.

lib. III. ſub fin.

Sen. ep. 81.

Cic. III. de offic. ſub fin.

Scytharum elogium, quo comprehenditur etiam Amazonum virtus.

Iust. lib. II. INcipit autor noster Lib. II. res gestas Scytharum summatim elogio quodam describere. ac primò quidem de origine eorum quædam refert. Dicit enim Scytharum gentem semper antiquissimam habitam esse, quanquam inter Scythas & Ægyptios diu contentio de generis vetustate fuerit. sed ista Ethnica & superstitiosa hypothesis. Verior origo repetenda est ex Bonfinio *Decadis I. lib. II.* & aliis scriptoribus: Bonfinius ait, *neminem esse, qui deneget, Scytharum gentem à Scytha filio Herculis nomen accepisse.* Earum autem terra prima fuit Asiæ, quæ dicitur ab initio regionum omnium nobilissima, & quæ prima genus mortalium intra se conspexit, & in alias mundi partes emisit.

Hæc breviter de origine: Progreditur postea ad virtutem eorum, & res bello præclarè gestas; præsertim enim Scythæ virtu- *IV, 6, 3. Iust. II.* tem belli adepti sunt, quare iis à Curtio & aliis elogium *bellicosissimæ gentis* meritò tribuitur. Nam Darium regem Persarum turpi fuga summoverunt: Cyrum cū omni exercitu trucidaverunt: Alexandri Magni Ducem pari ratione cum copiis universis deleverunt; Vexorem quoque regem Ægyptium in fugam verterunt: & Parthicum ac Bactrianum imperium ipsi condiderunt. Sed Amazones quoque virtute haud inferiores fuere: Eæ enim fines suos summoventes primò, mox etiam inferentes bella defenderunt: Rempublicam sine viris auxere & majore parte Europæ subacta, Asiæ quoque nonnullas civitates accupavere. ac ibi Ephesum multasque alias urbes condidere. Reperiuntur autem quidam, qui plane volunt negare, unquam Amazones fuisse, inter *Lib. XI.* quos præcipuè Strabo est, qui ait: *fabulas esse & à fide plurimum distare, quæ de Amazonibus dicuntur.* Cum tamen plurimi scri- *4, 56, 1, VI, 5. IV, 14.* ptores sint, qui earum mentionem faciunt: ex quibus Tac. etiam, Curt. & utroque vetustior Herodotus est, qui bellum Græcorum & Scytharum accuratè describit. Sed nos in re tam ambiguæ fidei, abunde præstiterimus, si tot & tantis scriptoribus credamus, haud omnino ex vano haustam fuisse istam opinionem; mulie-

res

res enim militasse quandoque, multis fidisque probatorum scriptorum testimoniis certum est.

Tandem mores quoque Scytharum autor noster singulari diligentia describit: nam in illis vitiorum ignoratio tanto plus profecit, quam in aliis cognitio virtutis; iustitia gentis ingeniis culta non legibus, nullum scelus apud eos furto gravius fuit, aurum & argentum non perinde ac reliqui mortales appetebant; *ibi ergo diu paupertati & parsimoniæ magnus honos fuerat: quanto minus enim rerum, tanto minus cupiditatis esse solet, & sero etiam avaritia luxuriaq; immigrat.* Hæc continentia illis morum quoque iustitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus, quippe ibidem divitiarum cupido est, ubi & usus. Idem Tacitus etiam de vetustissimis mortalium refert: dum dicit, *nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna aut coercitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. Hoc natura Scythis dedit, quod Græci longa sapientum doctrina, præceptisq; philosophorum consequi nequiverunt.* Igitur ut verbo dicam, plus apud Scythas boni mores valuerunt, quam alibi bonæ leges.

Iust. II. 2. *Liv. præf.* *III. A. 26.*

Solon & Lycurgus legislatores.

MEminit autor noster duorum celeberrimorum legislatorum, Solonis & Lycurgi. Hi adeo celebrantur consensu scriptorum, ut si quis velit elogia eorum colligere, ei integrum opus scribendum sit. Præcipuè hic consideratu dignum, quomodo uterque Rempubl condiderit (non enim talem hic legislatorem intelligimus, qui unam quamque legem fert, sed talem, qui Reip. formam legibus condit, in quibus Reipubl. salus sita est, *apud bonos enim iura pietatis plus valent, quã omnes opes.*) Vterq; autem instituit Democratiam sed Aristocraticè temperatam, quo sine temperamento vix diuturna & firma esse potest: quare isti legislatores optimo temperamento usi sunt. Magnus quoque & laudatissimæ memoriæ Berneggerus suis in Tacitum quæstionibus de Democratia speciatim observat, *posse eam aliarum formarum ad-*

Iust. lib. 2, cap. 8 & lib. 3, cap. 2. & 3. *Aristoteles* *Quæst. 5.*

mixtione ita corrigi, ut accommodatissima civitatibus efficiatur : & ne desit exemplum, inquit : amplissima Respubl. Argentoratensis, nostrorum studiorum nutritia benignissima ita conformata est, ut potius habeamus, quod eorum, qui primi eam administrationis formam instituerunt, sapientiam admiremur, quam in ea quicquam desideremus: cum quicquid Democratiam vitiosum habere dictum est, Aristocratiæ salutari temperamento corrigatur: Sufficiat igitur & nobis hoc exemplum. Facienda seorsim esset mentio legis illius de ἀδιαφορίᾳ seu neutralitate, quam vocant, in bellis civilibus, quam Aristoteles in legibus Solonis, illis antiquissimis, quæ Athenis axibus ligneis incisæ sunt, quasque latas ab eo Athenienses, ut sempiternæ manerent, pœnis & religionibus sanxerant, ad hanc sententiam refert scriptam. In casu civilis discordiæ, qui non alterutra parte sese adiunxerit, sed solitarius separatusque à communi malo civitatis secesserit, is domo, patria, fortunisque omnibus careto, exsul extorrisque esto. De hac lege, an quis in bello civili neutralis manere debeat, vel non, Lipsius in politicis suis in utramque partem differit, sed nos cum eo dicimus: in re tam litigiosa nos pugnandi cupidis hominibus non satisfacere. Interim inter alias leges Solonis hæ quoque potissimum memoratu dignæ sunt. De matrimoniis: Convitiis in vivos pariter ac mortuos: De prodigis & scortatoribus: De funeribus: De liberorum in parentes officio & parentum in liberos potestate: denique etiam de disciplina militari. Lycurgus verò per leges suas potissimum populum in obsequia principum, principes ad iustitiam imperiorum formavit: Parcimoniam omnibus suasit, existimans laborem militiæ assidua fragilitatis consuetudine faciliorem fore: Emi singula non pecunia sed compensatione mercium iussit. Auri argentique usum, velut omnium scelerum materiam, sustulit.

Agell. lib. 2. cap. 12.

SICILIA, eius situs, fertilitas, admiranda, incolæ, mores.

QVoniam de rebus Siciliæ agendum erat, operæ pretium putavit Historicus, si Siciliam ab initio describeret. Ea res monet nos, ut & ipsi ex Diodoro Siculo, Strabone aliisque breve elo-

Iust. lib. IV c. 1. & seq.

logium Siciliæ componamus. Omnes interni maris insulas magnitudine iuxta ac claritate antestat Sicilia, quondam si veteribus credimus, continens & Italiæ annexa, post interfuso Siculi maris freto, avulsa: ambit* eius est stadiorum IV millia CCCLX. Figuram habet triquetram, itaque & Trinacria à tribus extremitatibus quondam & postea sono vocis concinniore Trinacris denominata fuit: figuram eius tria definiunt promontoria; Pelorus, Pachynus, Lylibæum. *Cluv. lib. 3, cap. 41. Diod. Sic. lib. 6. Strabo p. 265, lib. 6.*

Quod ad naturam soli cœlique: Sicilia præstantissima est insularum & antiquitate rerum commemorandarum facile primas tenet. Cœli enim clementia ac soli ubertate adeo felix, ut horreum Romanorum appellaretur. Magna fertilitas loci est, quod clarissimus etiam poëtarum suo testimonio confirmat: *Diod. Sic. lib. 5, p. 286. Cluv. lib. 3, cap. 41.*

Absque satu hic crescunt & vomeris omnia sulco. *Diod. Sic. l. 5, p. 287.*
Hordeum & alticomum triticum vitesque parentes *Hom. odyss.*
Vvarum & vini: quæ Jupiter imbribus auget. *lib. 9.*

Nam in Leontino agro, aliisq; Siciliæ locis pluribus etiam nunc triticum nascitur, quod agreste vocant: dicuntur enim primi frumenti usum participasse. In propinquo lucos & prata habet, paradisosque paludibus circumseptos, hic ibidem campus Ennensis, qui locus non procul est ab urbe; ubi omnis generis violæ ceteriq; flores odorati per totum continenter annum florent, totamque speciem floridam & iucundam contemplantibus ostendunt. Tanta illic odorum fragrantia esse dicitur, ut canes ad feras indagandas emissi facultate sensus impedita, odoratu feras investigare nequeant. Adde his magnitudinem & multitudinem fluviorum atq; lacuum, tum aquarum & calidarum & frigidarum plurimis locis eruptiones ad sanitatem parandam à natura elaboratas: tum metallorum copiam, materiæque & alimentorum hominibus, brutisque convenientium abundantiam: & huc facientem frugum præstantiam quæ nemo potest pro dignitate verbis explicare. Suppeditat Romæ non modo fructus, sed & pecora pelles, lanas, aliaque id genus. Siciliæ igitur præstantiam ab omnibus prædicatam, qui eam non cedere Italiæ laudibus pronunciant, quid attinet dicere? imò frumento, melle, croco aliisq; rebus quibusdam vel anteire eam Italiæ dixeris. *Solin. c. 2. Diod. Sic. lib. 5, pag. 287. Strabo lib. 6, p. 286. pag. 273.*

In hac Insula non minus etiam singularia quasi naturæ miracula memoratu digna sunt; nimirum de Ætna & Cyclopibus.
Solin. c. 2. Mons est Ætna Vulcano sacer. In eius vertice hiatus duo sunt crateres nominati, per quos eructatus erumpit vapor præmisso prius fremitu, qui per æstuantes cavernarum latebras longo mugitu intra terræ viscera diu volvitur, nec ante se flammarum globi attollunt, quam intermistt tepitus antecedant. mirum hoc est, nec illud minus, quod in illa ferventis naturæ pervicacia mixtas ignibus nives profert, & licet vastis exundet incendiis, apicis canicie perpetua brumalē detinet faciem. itaq; invicta in eo violentia, nec color frigore mitigatur, nec frigus calore dissolvitur. De hoc
lib. 2. monte videri etiam potest Barclaius in Argenide & alii plures qui Siciliæ mentionem faciunt.

Barcl. in Arg. lib. 2. Cyclopum omne genus quidam, ferum fuisse & silvestre; alii non Deorum modo cultores sed & sanguinem putant. Primores tenuisse has sedes, simplicibus legibus vitam inter se agitavisse. illud in confesso est, excessisse humani corporis mensuram. Reperta enim sunt ossa & cadavera eorum, quorum mensura viginti cubitorum erat. Et hinc exteris forte error, ut cum istuc appellerent, in immanibus corporibus impias mentes latere crederent, aut nec colloquium ausi, in ipso terrore spectaculi toto remigio abirent à littore. Præter cætera ne eorum mores damnem, facit vetus Græcorum religio: Apud quos in Isthmo Corinthiaco ad veterem aram Cyclopibus tanquam cœlestibus fieri mos est. Vnde his ortus, quæ leges, quæve facinora rudis ætas involvit, nisi quod maximè insiderunt Æthnæs & Leontinos specus, quodque genitos Neptuno iactatum est; quem plerumq; immanibus viris patrem, maiores nostri fecerunt.

Diod. Sic. lib 5, p 201. De moribus Siculorum notandum; eos Græcorum mores habuisse, per commercia enim & multitudinem Græcorum eo navigantium factum est, ut & linguam eorum discerent, & eundem vitæ morem adepti barbaram etiam loquelam simul & nomen (Siculi de hinc appellati) mutarent. Philippus Camerarius in meditationibus suis historicis notat, ipsos victores equis lauro coronatis, captivis vero tonsis crinibus in triumpho usos esse.

esse. Res gestas eorum breviter quod attinet; bellum gesserunt cum Hannibale, Amilcare, Himilcare, Himilcone, Hannone & aliis.

Consultatio super excidio nobilissimarum urbium Athenarum & Thebarum.

CVm Athenæ, diuturnitate belli Peloponnesiaci & variis casibus fractæ, iam in hostium potestatem venissent, deliberatum est apud hostem; exscindenda ne, an conservanda urbs esset? cui exemplo etiam similis est consultatio Alexandri de Thebarum excidio. Considerabimus autem breviter priorem consultationem, ubi ex parte Spartanorum occurrebat iracundia, iniusta quidem belli causa; & insolentia victoriæ, mali scil. consultores. Tam diu enim Athenienses tulerunt obsidionem, neque prius se dediderunt, aut pacem petiverunt, donec scirent neque ex advectis copiis multum superesse, novasque amplius haud advehi posse, & post longam demum famem, & assidua suorum funera, pacem petivere. Quare ergo diu inter Spartanos, sociosque deliberatum de excidio urbis. Plus tamen instigabant inimici & æmuli Atheniensium & vicini, Corinthii præcipue ac Thebani ac præter hos alii Græci non pauci, funditus omnia evertenda esse: Quanquam autem suo affectui indulgerent & ex ruina nobilissimæ urbis sua incrementa sperarent, tamen haud dubie speciosa oratione usi sunt: Athenienses populum esse maxime ambitiosum & æmulum, deinde cupidum quoque dominandi; nullam enim in obsidione mentionem fecisse de compositione, spe retinendi imperii; quamvis multi fame perirent: adeoque iniuste etiam vicinos & socios oppressisse; ea ergo omnino vicissim perpeti debere, quæ ipsi non illatas iniurias puniendi studio, sed mera petulantia adversus humilium oppidorum incolas designassent, neque ante excidium unquam desituros hostes. Ex diverso melioris sententia authores, qui conservandam suadebant civitatem; ut Lacedæmonii, qui in consultatione respondebant, minime se Græci nominis urbem eversuros, quæ in maximis Græciæ periculis operam inprimis utilem navasset; talibus rationibus uti po-

Iust. lib. 5. cap. 8. & lib. 11 cap. 3. & 4.

Lips. lib. 5. cap. 3, 20.

Xenophon. lib. 2. hist. Græc.

Xenophon. lib. 2. hist. Græc.

Xenophon. lib. 2. hist. Græc.

terant, uti dicerent: urbem esse maxime celebritate insignem; in ea viros illustres genitos, res pro communi Græcia fideliter gessisse, cognatione quoque intima & necessitudine iunctos cum cæteris Græcis, adeoque plurimum momenti habere Athenas in ordinanda & firmanda Græcia: non minus quoque magnitudinem animi esse considerandam, quæ miseris nescit insultare, sed reputatione casuum humanorum devictis parcit; neque famam negligendam, quæ apud posteros secutura esset, vel sævitiæ, si everteretur urbs; vel clementiæ, si conservaretur.

Iust. lib. 11, cap. 3, & 4. Alterius consultationis de Thebano excidio, descriptionem in ipso historico habemus. Congruunt exempla in eo, quod ibi quoq; asperiora suadentes ingens ac hostile odium æmularum urbium & nationum instigavit. Ad mitiora flectere iracundum victorem pauciores ibi ausi sunt. Itaq; exit⁹ consultationis utrobiq; diversus: hic Athenienses conservantur, ibi Thebæ evertuntur. Quamvis hi quoque multis rationibus ad servandam urbem usi sunt, tamen potentior fuit ira. Vrbs enim diruebatur, agri inter victores dividebantur, & captivi sub corona vendebantur. Huiusmodi vastationem Hugo Grotius in libris de iure belli & pacis, *Lib. 3. c. 12.* maxime reprehendit; dicit enim: terram haud esse vastandam, nec domus incendendas, multo minus quidem post plenam victoriam. Quare & Cicero non probat Corinthum excisam, ubi *3. Offic.* tamen fœde tractati erant Romanorum legati: idemque alibi horrificum, nefarium, omni imbutum odio dicit bellum, quod *orat. pro Domo.* parietibus tectis, columnis, postibus fit. Laudat ideo Livius Romanorum lenitatem, victa Capua, quod non sævitum sit incendiis ruinisque in tecta innoxia murosque. *Lib. 26.* Sed merito hoc loco *Arrianus lib. 1.* obiici nobis potest, Thebanos propter defectionem ab Alexandro, tali pœna dignos fuisse. ad quæ respondemus, nos concedere, nonnunquam licita esse excidia, pro diversitate tamen delicti; dum nempe, quæ apud homines pœna capitalis apud urbes excidia sunt. Sed interim tamen bono temperamento opus est, quia non frustra summum ius antiqui summam putarunt crucem. *Lips. pol. lib. 2. cap. 11, 10.*

Pax

Pax Antalcidæ.

CElebre est apud omnes ſcriptores illius pacis nomen, quam pacem Antalcidæ dixerunt. Eius hic mentionem facit Juſtinus, quanquam de Antalcida ipſo nihil adiicit. Igitur nos collatis ceteris quoque ſcriptoribus quædam de ea pace annotabimus. Occurrunt autem ante omnia paciſcentes: ex una parte Artaxerxes Rex Perſarum, qui legatos in Græciam miſit, per quos iuſſit omnes ab armis diſcedere: qui aliter feciſſet, eum ſe pro hoſte habiturum; ex altera Græci, quorum propoſita conſiliaque præſertim cognoſcenda ſunt. Ex parte Perſarum prætextus, & veræ cauſæ ſive vera conſilia: Artaxerxes enim non Græciæ laboribus, aſſiduisque bellorum internecivis odiis conſulens fecit; ſed ne occupato ſibi Ægyptio bello, quod propter auxilia, adverſus præfectos ſuos Lacedæmoniis miſſa, ſuſceperat, exercitus ſui in Græcia detinerentur. Deinde ex parte Græcorum propoſitum votumque quodammodo diſcrepabat, ſi quis Lacedemonios cum ceteris conferat. Lacedæmonii enim ſponte & libenter ac ſua utilitate pacem inerunt; ceteri verò Græci neceſſitate coacti leges pacis inhoneſtas receperunt, cum tamen pax honeſta eſſe debeat, neque pactio ſervitutis. Conditiones autem ſive leges pacis *Diodorus Siculus* haſce narrat: Artaxerxem nempe his conditionibus pacem cum Græcis ſanxiſſe; Si Græcæ per Aſiam civitates ſub regis ditionem redeant, reliqui verò Græci omnes ſuis urbes legib' adminiſtrent, quod ſi qui rebelles fœdus non admittant, hos ſe per adſtipulatos bello impediturum. Ipſam formulam pacis Antalcidæ deſcribit *Xenoph.* in hæc verba: Rex Artaxerxes æquum eſſe cenſet, ut urbes in Aſia ſitæ, una cum inſulis Clazomenis & Cypro, ſibi pareant: cætera Græci nominis oppida, parva, magna, ſui iuris ſunto. Lemnus, Imbrus, Scyrus excipiuntor; quas ut olim, ita nunc etiam Athenienſes obtinento. Hanc pacem quicunque reiecerint, iis equidem bellum, una cum approbantibus eam, mari, terra, pecunia, claſſe inferam. Conciliator huius pacis Antalcidas fuit, à cuius nomine pax dicta eſt; huius ergo propoſita, artes, quaque fide aut calliditate in hoc negotio verſatus ſit, breviſſimis verbis hæc ſunt. Antalcidas

Juſt. lib. 6, cap. 6.

Juſt. 6, c. 6.

Diod. Sic. l. 14. p. 452.

Cic. Philip. 12, cap. 6.

Lib. 14, p. 452.

Hiſt. Græc. lib. 5. p. 550.

maris

Xenophon. hist. Gr. l. 5. pag. 549. maris imperium obtinebat, atque adeo prohibebat iam, quo minus naves è Ponto Athenas proficiscerentur, easque suos ad socios sub ducebat, quapropter Athenienses, qui magnā esse classem hostium viderent, ac ne nunc quoq; perinde, ut prius bello frangerentur, metuerent. posteaquam rex Lacedæmoniis belli socius factus esset, atque etiam ex Ægina tantum non à prædonibus obsiderentur. ob hasce causas omnes pacem postea vehementer expetebant. Hæc ergo pax ut videtur, partim magnifica. partim non ita favorabilis fuit. Magnifica fuit, quod tam ex inopinato *Iustin. 6,6.* adventaverat, quare etiam *Iustinus* ait, eum annum maxime fuisse insignem, quod repente pax tota Græcia facta est. Sed tamen non ità favorabilis erat, quia inhonestissima à Diodoro appellatur. Quare & *Plutarchus* in Artaxerxe censet, probrum potius *pag. 1022.* Græciæ & proditionem pacem appellendam esse, qua bellum nullum fœdiorem victis attulit exitum. quippe quæ tamen alias victis utilis esse debeat. *Lips. polit. V, 20. 2.*

Perdiccæ vaticinium, sive commentum de loco sepulturæ regiæ.

Iust. lib. 7. cap. 2. DVm autor noster Perdiccam regem *lib. VII, c. 2.* ita describere incipit; vitam nempe eius illustrem, & mortis postrema velut ex oraculo præcepta, memorabilia fuisse: nobilis etiam locus de vaticinio eius occurrit: siquidem senex moriens Argæo filio monstravit locum, quo condi vellet, ibique non sua tantum, sed & succedentium sibi regum ossa poni iussit: præfatus, quoad ibi conditæ posterorum reliquiæ forent, regnum in familia mansurum. Hac ergo occasione quæri nunc potest, unde Perdiccas hanc futurarum rerum scientiam & divinandi peritiam habuerit? Non desunt, qui morientibus aliquam præsagiendi facultatem tribuunt, sive qui credunt, aliquam vim divinandi in anima morientis esse, sed autor noster superstitionem appellat, quamvis *Lib. 5. cap. 16, 56.* Lipsio non omnino spernenda videntur præsagia futurorum. Verisimile etiam est hoc loco tantum regem non frustra hæc dixisse, non quidem, quod certo futura prædiceret; sed ex proposito politi-

litico, quo posteros suos partim ad colendam diligenter hanc regionem, & firmandam quasi regni sedem; partim ad res præclare gerendas, bona spe & fiducia successionis instigare voluit.

Philippus iudex iniquus.

INiqui iudicis nobile exemplum regem Philippum habemus. *Iust.8,c.3.* Quippe cum ipsum duo fratres reges Thraciæ non contemplatione iustitiæ eius, sed invicem metuentes, ne alterius viribus accederet, disceptationum suarum iudicem eligerent: Philippus more ingenii sui, ad iudicium veluti ad bellum, inopinantibus fratribus, instructo exercitu supervenit: & regno utrumque non iudicis more, sed fraude latronis ac scelere spoliavit, ut ita in dirimenda lite similis fuerit leoni Æsopico in partienda præda. Apparet ergo exinde maxime periculosum esse, præpotentem aliquem ultrò iudicem arbitrumque constituere; quod etiam exemplum Aricinorum apud *Livium* comprobat. Cum enim illi *Lib.3,c.71.* de ambiguo agro, postquam sæpe bello certassent, multis invicē cladibus fessi iudicem populum Romanum cepissent; iudices etiam statim litem in rem suam verterunt; quamvis consules & patrum primores eos docerent; iudicem non posse litem in suam rem vertere: licere quidem interdum iudici emolumenti sui curā habere: sed tamen apud alios potius iudices, id est, iudex cum videt suum emolumentum in causa versari, aliorum iudiciū ipsum sequi debere.

Elogium Philippi.

POstquam iam res gestæ Philippi descriptæ sunt, etiam nobile *Iust.9,c.8.* elogium eius annectitur, quale & Freinshemius in supplemento Curtii notavit. Varius autem Historicorum componendi ea mos est, de quo etiam Clarissimus Bœclerus in scholis suis Florianis disputatione tertia agit: hoc autem loco Justinus eum secutus quem *M. Seneca in Suasoriarum septima* describit, dum ait. Quoties magni alicuius mors ab Historicis narrata est, toties verò totius consummatio vitæ, & quasi funebris laudatio redditur, hoc semel atq; iterum à Thucydide factum, idem in paucissimis personis usurpatum à Sallustio Livius benignius omnibus magnis

viris

viris præstitit. Quædam ergo partes elogii eius ad militiam pertinent, quædam ad ceteram vitæ consuetudinem. Fuit enim rex armorum quam conviviorum apparatibus studiosior. cui maximæ opes erant instrumenta belli: divitiarum quæstu, quam custodia solertior. Itaque inter quotidianas rapinas semper inops erat. Misericordia in eo & perfidia pari iure dilectæ: nulla apud eum turpis ratio vincendi: blandus pariter & insidiosus alloquio; qui plura promitteret, quam præstaret: in seria & iocos artifex. amicitias utilitate, non fide colebat, iuxta vulgi morem, *qui amicitias utilitate probat*. Gratiam fingere in odio; instruere inter concordantes odia, apud utrumque gratiam quærere, solemnis illi consuetudo. Inter hæc eloquentia & insignis oratio, acuminis & solertiæ plena, ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inventionum deesset ornatus: Hinc & *Polyænus* de eo scribit: *non minores eum res oratione quam prælio confecisse; & pluris æstimasse verbis quam armis partas victorias.* Harum enim partem sibi vendicare milites existimabat; illas ad suam unius laudem pertinere. Præterea etiam prudens erat consilio; iramque dissimulare, plerumq; etiam vincere poterat: non minus quoque cum amicis regnare volebat; secundum lectionem Alberti Sebisii: quippe cum, ut *Tacitus* ait, *nullum maius boni imperii instrumentum sit, quam boni amici. Non enim exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt, verùm amici.* Quæ Principem omnium callidissimum & vaferrimum ostendunt, ut ex omni eius vita apparet. Præcipua autem pars famæ eius & nominis ad Monarchiam Græciæ spectat, cuius autor Philippus, perfector Alexander fuit.

Ovid. de Ponto 2,3,8 — *Stratag. lib. 4.* — *Histor. 4,7.*

Parricidia aulæ Persicæ.

QVæ exitio haud parum regno Persico fuere, iam porro refert autor parricidia. Nempe Darius, quanquam Artaxerxes vivus eum contra morem Persarum, quibus rex non nisi morte mutatur, per indulgentiam regem fecerat, ne se mortuo regnum novis bellis fratrumque certaminibus implicaretur, cum *cohibeantur prava aliorum spes, si successor non in incerto sit*: nihilominus tamen assumtis quinquaginta fratribus parricidis, interficiendi patris

Iust. lib. 10. — *Plut. in Artaxerxe* — *Tacit. 3,56.*

tris consilium cœpit. Itidem Cyrus, cuius in transitu autor noster mentionem facit, occulte adversus fratrem bellum paravit. Ochus etiam, cui post Artaxerxem hereditas regni tradita est, timens parem coniurationem, regiam cognatorum cæde, & strage principum replevit, nulla non sanguinis, non sexus, non ætatis misericordia permotus: scilicet ne innocentior fratribus parricidis haberetur. Sic Codomannus ob memoriam pristinæ virtutis, rex à populo constitutus, & postremo victus ab Alexandro, à cognatis occisus est. Quæ autem hæc nefanda scelera sunt? ubi etiã Artaxerxis adeo vile paternum nomen apud tot numero filios fuit, ut quorum præsidio tutus etiam adversus hostes esse debuerat, eorum insidiis circumventus, tutior ab hostibus, quam à filiis fuerit: Res ergo atrocissima, & ab affectione atque naturali pietate alienissima. neque enim aliquis facile in necem suorum iuraverit, nisi qui omnibus affectibus bellum indixerit: recte igitur autor noster infra ait: *in parricidio, nullam satis iustam caussam ad sceleris patrocinium prætexi posse.* Quare etiam vindicta divina non cunctata, quæ non autores tantum facinorum persequitur, sed regna ipsa transfert aut evertit, in quibus talia patrata sunt. Juvenis enim Darius aliquando exacerbatus in iurgia primo patris erupit: mox facta cum fratribus coniuratione, dum patri insidias parat, deprehensus cum sociis, coniurationem prodente quodam evnucho, *pœnas parricidii diis paternæ maiestatis ultoribus dedit.* Coniuges quoque omnium cum liberis, ne quod vestigium tanti sceleris extaret interfectæ. nam ut Ammianus Marcellinus ait; *leges apud Persas impendio formidatæ: inter quas diritate exsuperant latæ contra ingratos & desertores, & abominandæ aliæ, per quas ob noxam unius omnis propinquitas perit.* Ita etiam Cyrus in bello, quod palam & aperta professione parare cœpit contra fratrem, à cohorte regia oppressus est. Sic *Ochus* quoque pœnam non effugit; quippe ab *evnucho Bagoa veneno necatus est: cadaver ipsius Bagoas felibus obiecit, & ossa quædam exprobrandæ crudelitatis caussa, in manubria gladiorum convertit.* Codomannus, quod à cognatis occisus est, vitam pariter cum Persarum regno finivit. Adeo ergo non sunt diuturna ista imperia, ubi tanta parricidia patrantur.

Clapm. de arcan. rer. publ. 4, 20.

Lib. 16. c. 14.

Plutar. in Artaxerxe

Lib. 23, c. 31.

Diod. Sic. l. 16, p. 561.

Aelian. in Var. hist. Lib. 6, c. 8.

Collatio historiæ Curtianæ de Alexandri bello usq; ad mortem Darii cum epitoma Iustini.

Iust. lib. 11. CONclusit Justinus in hunc librum totum illud bellum Asiaticum, quod Alexander usque ad mortem Darii gessit. Hinc animus est conferre ampliorem Curtii historiam cum hac epitome. Quando ergo huius libri capite quinto Justinus memorat, quod Alexander ad Persicum bellum profecturus reges stipendiarios conspectioris ingenii ad commilitium secum traxerit: *inter*
lib. 4. *c.* 5, 11 *ter eos* quoque *Pythagoram Regem Cypriorum cum Cratero fuisse*,
Iust. 11, *c.* 6. Curtius subindicat. Atque cum Alexander hostem petens, *milites a populatione Asiæ prohibuisset, parcendum suis rebus præfatus, nec perdenda ea quæ possessuri venerint*: huius interdicti causam ex
l. 4, *c.* 14, 2. Curtio annotare forsitan haud incommodum erit: quod nempe *nullum desperationis Persarum maius indicium Alexander existimaverit, quam quod urbes urerent, quicquid non corripuissent, hostium*
Iust. 11, *c.* 7. *esse confessi*. Vrbis Gordii expugnationem noster post prælium,
Lib. 3, *c.* 1. Curtius autem ante factam memorat: ubi *iugum Gordii solvere adgredientem, circumstetisse & Phrygum turbam, & Macedonum addit; illa quidem expectatione suspensa, hac solicita ex temeraria regis fiducia: quippe serie vinculorum ita adstricta, ut unde nexus inciperet, quove se conderet, nec ratione, nec visu percipi posset. ille tamen nequaquam diu luctatus cum latentibus nodis, nihil*, inquit, *interest, quomodo solvatur: gladioque ruptis omnibus loris, oraculi sortem vel*
Iust. 11, *c.* 8. *elusit, vel implevit*. Postmodũ cum hinc audito Dariũ adventare, angustiasque timens discederet, atque in amœno Cydno lotus, acri morbo corriperetur: præter ea quæ Justinus habet, notat Cur-
Lib. 3, *c.* 5. tius; quam *ingens solicitudo, & pene iam luctus in castris fuerit*. atque prolixe, quomodo Alexander amicos & medicos, præcipue etiam Philippum allocutus sit, hicque responderit, recenset. Cum
Lib. 11, *c.* 9. vero iam convaluisset rex, prælium inivit cum Dario, quo ex parte Persarum cœsa peditum unum & sexaginta millia noster ait, Cur-
Lib. 3, *c.* 11. tius vero *centum millia*. Ex parte Alexandri *pedestres* CXXX. nu-
Iust. 11, *c.* 9. merat, hic triginta omnino & duos ex peditibus desideratos, qua-
Lib. 3, *c.* 11. tuor vero & quingentos fuisse saucios tradit. Inter captivos autem

tem castrorum mater & uxor,eademque soror, & filiæ duæ à Ju- *Lib*.1. 9.
stino referuntur. Quibus Curtius *filium* addit, & singulare cle- *Lib*. 3,12.
mentiæ atque continentiæ specimen in Alexando notat: *Virgines enim regias excellentis formæ tam sancte habuit, quam si eodem, quo ipse parente genitæ forent. coniugem eiusdem,quam nulla ætatis suæ pulchritudine corporis vicit, adeo ipse non violavit,ut summam adhibuerit curam, ne quis captivo corpori inluderet.* Haud diu post *Lib*.11,c.10
Tyriorum civitatem accessit,quæ non solum ei coronam auream donum magni ponderis per legatos misit, sed & addente Curtio *ex oppido commeatus large & hospitaliter adduxit.* Postea vero, *Lib*. 4,c.2.&
cum Tyrii ipsi in templum Herculis intra urbem introitum denegaret,obsidere Tyrum cœpit,cuius obsidionem *Curt. lib. IV, c.* 2,3. & 4. accurate ac prolixe describit. Tradit autor noster, non *Iust. lib*.11, *cap*. 10, 14.
magno post tempore captam esse urbem; sed Curtius ait,*septimo demum mense,quam oppugnari cœpta erat, captam esse.* Inde Rhodum Alexander, Ægyptum, Ciliciamque sine certamine recipit. *Lib*. 4. c.4. *Lib*.11, c.11.
Ad Jovem deinde Hammonem perrexit, consulturus de eventu futurorum & origine sua; qua occasione *Curtius* totum oraculum Jovis Hammonis eleganter & accurate describit. Quando *Lib*. 4, c.7.
deinceps *Justinus* Darium ter pacem ab Alexando petivisse commemorat,*Curtius*, quæ ex parte legatorum & Alexandri habitæ sunt, orationes addit. Cum autem de pace non convenire *Lib*. 11,c.12 *Lib*. 4,c.11. *Lib*.11,c.13.
possent,acies produxerunt; quomodo Darius suam disposuerit *Curtius* ulterius describit. Capite ultimo huius libri cognatos; *Lib* 4, c.13. *Lib*.11,c.15.
quos Darium in gratiam victoris aureis compedibus catenisque vinxisse,Justinus refert: exprimit nominatim *Curtius* & *Bessum Nabarzanemque* appellat. *Lib*. 5,c.10.

Continuatio collationis.

XII. LIB.

PErgit Justinus in hoc libro describere res gestas Alexandri, quare & nos non desistemus conferre eas cum historia Curtiana. Ab initio huius libri narrat,quomodo omnis ferme Græcia *Iust*.12, c.1.
postprofectionem Alexandri in occasionem recuperandæ libertatis,ad arma concurrerit,auctoritatem Lacedæmoniorum secuta.dux huius belli Agis rex Lacedæmoniorum fuit;quem motum

Antipater contractis militibus in ipso ortu oppressit. Curtius
Lib. 6,c.18. totum hoc bellum ab initio Lib. VI. accurate describit, & addit:
Iust.Lib.12, *Alexandrum haud tacitum indignatum esse, Antipatrum vicisse: suæ*
cap. 1,9. *demtum gloriæ existimantem, quid cessisset alienæ.* Magna in eo
Lib.6,c 1. bello utrinque cædes fuit. *Cecidere* enim secundum Curtium
Lacedæmoniorum V. millia & CCCLX. ex Macedonibus haud amplius
Iust.12,c.3. *CCC. ceterum vix quisquam nisi saucius revertit in castra.* Postmodum cum Hyrcaniam Mardosque subegisset,ei occurrit Thalestris sive Minithæa Amazonum regina cum CCC. mulieribus:
Lib. 6, c. 5. cuius habitum & colloquia,quæ cum Alexandro habuit, *Curtius*
Iust. 12,c. 5. recenset. Interea autem Alexander sævire in suos cœpit, suiq; ulcisci contemtum inprimis in Parmenione: cuius cædem & Bessi
Lib. 7, c. 2. cruciatum noster tangit, *Curtius* vero pluribus exequitur. Cum
& lib. 7, cap. 5,41. deinde ad Tanaim amnem rediisset, Alexandriam condidit,eamq;
Iust. 12,c.5. circumdedit muro VI. millium passuum. *Curtius* ait, LV. stadi-
l. 7, c.6,25. orum (faciunt 7500 passus) His ita peractis, tandem etiam Cli-
Iust.12,c.6. tum ebrium in convivio laudantem res gestas Philippi adeo regem offendisse Justin⁹ ait,ut telo à satellite rapto,eundem in con-
Lib. 8, c.1. vivio trucidaverit: *Curtius* vero tradit,quod Alexander *Clitum adhuc eadem lingua intemperantia furentem percutere conatus à Ptolemæo & Perdicca sit inhibitus,ac postea de convivio egressi demum latus hasta transfixerit,morientiique sanguine adspersus dixerit: I nunc*
Iust. 12,c.7 *ad Philippum & Parmenionem & Attalum.* Cum tandem rex adorari se more Persico superbe iuberet,recusaretque inprimis Callistenes, *gravitas viri & prompta libertas invisa regi erat,* ceu notat
l. 8,c.5.13. *Rufus,quasi solus Macedonas paratos ad tale obsequium moraretur:*
Iust.12,c.8. Fuit porro ex regibus Indorum,Porus nomine, viribus corporis & animi magnitudine pariter insignis, adeo ut victus ab Alexan-
Lib.8,c.14. dro,cur belli *fortunam experiri* ausus fuerit,interrogatus, *libere responderit*: (ut est apud Curtium) *Neminem me fortiorem esse censebam: meas enim noveram vires,nondum expertus tuas: fortiorem esse te,belli docuit eventus. sed ne sit quidem parum felix sum, secundus*
Iust.12, c.8. *tibi.* Quanquam in ipso congressu cum Alexandro, quem sibi privatum hostem petierat multis vulneribus obrutus, ut noster
Lib. 8,cap. 14,32. habet; *novem* enim *vulnera*, iuxta Curtium, *hinc tergo,illinc pectore exceperat.* Itaque *cum Porus telis gravatus, ex bellua labi cœpisset,*

set, Indus, qui elephantum regebat, more solito elephantum procumbere iussit in genua; qui ut se submisit, ceteri quoque, ita enim instituti erant, demisere corpora in terram. ea res & Porum & ceteros victoribus tradidit. Rex spoliari corpus Pori, interemtum esse credens iussit, & qui detraherent loricam vestemque concurrere; quum bellua dominum tueri, & spoliantes cepit adpetere, levatumque corpus eius rursus dorso suo imponere. ergo telis undique obruebatur, confossoque eo in vehiculum Porus impositus est. Atque ita victus ab Alexandro ob honorem virtutis incolumis in regnum remissus; imò uti Curtius refert, *ampliore regno, quam tenuit, donatus.* Post urbem conditam Bucephalon, interiecto tempore etiam in Ambros & Sugambros navigavit: Curtius *Mallos* & *Oxydracas* vocat. Vbi cum victor ad urbem eorum plenam hostium pervenisset, de muro, quem primus ceperat sine ullo satellite desiliit: quam ibi fortiter se gesserit; *Curtius* Lib IX. c. 4, & 5. eleganter describit. Tandem Alexander etiam Babyloniam rediit, ibique devictarum gentium præfectos accusatos in conspectu legatorum necari iussit: Hos, *Cleandrum* & *Sitalcem*, & cum *Agathone Heraconem, qui Parmenionem iussu regis occiderant*, fuisse Curtius commemorat, & crimina etiam obiecta, quorum accusati fuerint, addit: nempe *quum omnia profana spoliassent, ne sacris quidem abstinuerant; virginesque & principes feminarum stupra perpessæ, corporum ludibria deflebant.* Idemque verba lenia, quibus milites ob veteranorum dimissionem seditiosos Alexandrum monuisse, à nostro dicitur; recenset pariter. atque integras Regis orationes exhibet. Quibus habitis *desiluit frendens de tribunali, & in medium armatorum agmen se immisit, notatos quoque, qui ferocissime oblocuti erant, singulos manu corripuit: nec ausos repugnare, tredecim adservandos custodibus corporis tradidit*: quos Justinus Alexandrum ipsum statim manu sua ad supplicia duxisse, ait. Hæc Alexandri gesta noster morte eiusdem finit, quomodo in convivio Rex auctore Antipatro veneno necatus, referens. Curtius hic non subsistit, verum tradit porrò, quomodo post mortem illius *Antipater regnum Macedoniæ & Græciam quoque invaserit, soboles deinde exceperit; interfectis omnibus, quicunque Alexandrum etiam longinqua cognatione contigerat. Ceterum corpus Regium à Ptolemæo, cui Aegyptus cesserat,*

Lib. 12, *c.* 8. *l.* 8, *c.* 14, 45. *Iust.* 12, *c.* 9. *l.* 9, *c.* 4, 15. *Iust.* 12, *c.* 9. *Lib.* 9, *cap.* 4, & 5. *Iust.* 12, *c.* 10 *Lib.* 10, *c.* 1. *Curtius l.* 10. *cap.* 2. *Iust.* 12, *c.* 11 *Curt.* 10, 2. *Lib.* 12, *c* 11 *Iust.* 12, 14. *Lib.* 10, *c.* 10, 18, 19, 20

rat, Memphim, & inde paucis post annis Alexandriam translatum fuisse; omnemque memoriæ ac nomini honorem habitum. Ætatem regis noster neque præterit, cum decessisse Alexandrum mensem Lib. 4, c. 1, 30 unum annos tres & triginta natum, ait. Si Cl. Freinshemii supplementum conferre hic licet, natus est, ut accuratiores tradunt, incipiente Olympiade sexta supra centesimam, prætore Athenis Elpine, A. D XII. Kal. Sextili: quem tum mensem Macedones Loum vocabant. Atque hæc sunt, quæ pertinere ad illustrandum nostrum videbantur.

Memorabilis clarorum virorum proventus.

Iust. lib. 13, cap. 1, vers. 11, & 12. PRudenter hic Justinus notat, tempore Alexandri Magni & Philippi patris plures illustres viros extitisse, qui tantæ virtutis ac venerationis erant, ut singulos reges putares. Quippe ea formæ pulchritudo & proceritas corporis, & virium ac sapientiæ magnitudo in omnibus fuit, ut qui eos ignoraret, non ex una gente, sed ex toto terrarum orbe electos iudicaret. Neque enim unquam ante Macedonia, vel ulla gens alia, tam clarorum virorum proventu floruit. Cuius rei causas inquirentibus occurrit ante omnia divina providentia, & singularis favor erga gentem aliquam. Deus enim, quoties imperium extollere cupit, etiam viros præclaros & ei aptos procurat qui non sine maxima utilitate id administrent. Alia deinde causa est virtus & exempla re- Lips. polit. lib. 2, c. 9. gum; ad exemplum enim eorum componitur orbis, & quales in Republ. principes, tales & reliqui esse solent. Nam *facere recte* lib. 2, c. 126 §. 5. *cives suos*, (ut Velleius ait) *princeps optimus faciendo docet*; *cumque sit imperio maximus exemplo maior est.* Prudens postea electio ad negotia non parum quoque momenti habet: mature enim ad Iustin. 13, cap. 1, 13. talia instruendi. quales etiam primo Philippus, mox Alexander tanta cura legerat, ut non tam ad societatem belli, quam in successionem regni electi viderentur. Supervenit præterea & accurata inspectio operum factorumque, ne quid negligenter intermittatur, aut male agatur. Honores postea & prœmia facto- Lib. 4, c. 35 rum, quantum hæc stimulum addunt ad virtutem? *nam eo labor*

ac

ac periculum impenditur, unde honos atque emolumentum speratur. Æmulatio denique virtutis inter tales viros haud parum efficit, dum semper alter alterum virtute superare conatur: atque sic ad maiorem perfectionem virtutis perveniunt: quemadmodum amici Alexandri nunquam sibi pares repererant, si non inter se concurrerent. Hac ratione Macedonia tales viros genuit, ut non mirandum sit, talibus ministris, orbem terrarum victum, cum exercitus Macedonum tot non ducibus, sed regibus regeretur. Vnde apparet caute accipiendum esse, quod Sallustius dicit, quasi in Republica libera potius quam in regno possent viri illustres esse. Sunt autem hæc eius verba: *tempestate imperatorum* (ita consules vocat) *cœpere se quisque magis magisque extollere, ingeniumque in promptu habere. Nam regibus boni, quam mali suspectiores sunt, semperq; his aliena virtus formidolosa est.* Id quod de tyrannide quidem concedere possumus, sed non de iusto imperatore, exemplum enim Macedoniæ repugnat, de quo testatur noster, ut supra dictum: Quod neque unquam antea Macedonia, vel ulla gens alia tam clarorum virorum proventu floruerit. Sic ergo *raro eminentes viri non magnis adiutoribus ad gubernandam fortunam suam usi sunt*: ut duo Scipiones duobus Læliis, quos per omnia æquaverunt sibi; ut D. Augustus, M. Agrippa, & maxime ab eo, Statilio Tauro. quibus novitas familiæ haud obstitit, quo minus ad multiplices consulatus triumphosque, & complura eniterentur sacerdotia: *magna enim negotia magnis adiutoribus egent.*

Iust. lib. 12. cap. 1, 14. *cap. 7.* *Velleius 2. cap. 127.*

Eumenis infelix virtus.

HAud immeritò hac occasione nobilis virtus Eumenis fortissimis quibusque ducibus commendatur. *Vincebat enim is omnes cura, vigilantia, patientia, calliditate & celeritate ingenii, fulgebatque iam in adolescentulo indoles virtutis. Itaque* Philippus *eum habuit ad manum scribæ loco, nemo autem ad id officium admittebatur, nisi honesto loco, & fide & industria cognita, quod necesse erat omnium consiliorum eum esse participem; hunc locum tenuit amicitiæ apud Philippum annos septem. Illo interfecto, eodum gradu fuit apud Alexandrum annos tredecim.* Fuit etiam neque *salutis* *quam*

Iust. lib. 14 *Cor. Nepos cap. 1.* *Corn. Nep. c. 1, §. 5, & 6* *Corn. Nep. c. 3, §. 1.*

Corn. Nep. cap. 2, 3. *quam fidei cupidior*; quare *Perdiccas* Eumenem *adiunxerat magno studio*, quod in homine *fidem & industriam magnam videbat*. Sed
Iustin. 14. cap. 2, 12. dux quoque lectus imperium paulatim, primum monendo singulos, mox quæ perperam facta erant, blandè corrigendo, usurpavit; ut sine eo in castris nihil agi, nihil administrari sine solertia
Corn. Nep. cap. 4. illius posset. *Vicit* postea egregie *Antipatrum* & *Craterum* apud Hellespontum. Cum *Antigono quoque in Paretacis conflixit, non*
Corn. Nep. cap. 8. *acie instructa, sed in itinere, eumque malè acceptum in Mediam hiematum coegit redire*. Neoptolemum ipse superavit, & eius prœlii
Plutar. in Eumene pag. 587. diebus decem circiter à priori palmam tulit, ac gloriam ea conciliavit illi ingentem, quod partim sapientia, partim virtute eam peperisset. Sicq; *summos duces partim repulit partim interfecit*. Sed
Corn. Nep. cap. 13. *virtute maxime indignum habuit eventum & exitũ. Captus enim annorum quinq; & quadraginta non Antigoni virtute, sed Macedonum*
Corn. Nep. cap. 12. *periurio. Et non amplius, quam triduum fame fatigatus, insciente Antigono iugulat' est à custodibus: Negabat enim se ei vim allaturum, qui aliquando fuisset amicus, sed tantum quotidianum victum amoveri iussit, ne qua seditio exercitus oriretur: qui admirabatur, quod de eo non esset supplicium sumptum, à quo tamen tot annos adeo essent malè habiti, ut sæpe ad desperationem forent adducti, quique maximos duces interfecisset, & quo interfecto nihil amplius negotii habituri essent*. Hinc maxima quoque industria Corn. Nepotis apparet, qui
pag. 595. fortunam Eumenis tam candido stylo reliquit. Plutarchus etiam hic non prætereundus, qui elegantem collationem instituit inter Eumenem & Sertorium. Ambo autem peregrini & alienigenæ & exules gentium variarum & fortium legionum magnorumque exercituum fuerant ductores. Sertorius ob dignitatem, Eumenes ex rebus gestis primatum accepit. Huic utilitatiś gratia parebant, illum, qui ducem quærebant iustum sequebantur. Alter Hispanos & Lusitanos Romanus, Chersonesites alter, duxit Macedonas: quorum hi totum orbem domabant; illi serviebant iam pridem Romanis. Sertorius ex senatore, Eumenes ex scriba dux evasit. Illi finis periculorum in hostium positus oppressione erat. Res bello gestæ, æquæ & pares sunt. Ceteris moribus, bellorum & certaminum cupidus Eumenes,

quietis & tranquillitatis Sertorius fuit sectator. Huic mors oblata est nihil præsentienti, illi etiam exspectanti cædem.

Lysimachi historia & fabula.

EST Rhetoricis aliquod consilium confirmationum & destructionum, moderationi prudentiæ quam certaminibus eloquentiæ accommodatius: nimirum ut serviant consultationibus & deliberationibus; ubi rei momenta in utramque partem expendere, unamque modo sententiam confirmare, modo aliam informare, aut potius examinare oportet. Id genus exercitii hac occasione & nos prætermittere nolumus; cum autor noster eius occasionem præbeat, in enarranda Lysimachi tanquam vera historia, quam & alii ita memorant: Curtius vero fabulam vocat. Adferemus itaque ea, quæ tum ad confirmationem quam destructionem eius historiæ pertinebunt.

Iustin. lib. 15, cap: 3.

Pro confirmatione.

HIstoriam hanc Lysimachi ut veram non autores leves, sed graves & auctoritate pollentes describunt: quales sunt Iustinus, Plinius; qui ait, minime mirandum esse, à Lysimacho Alexandri iussu simul incluso strangulatum esse leonem; itemque Seneca de Ira & de Clementia. Apparet etiam verisimilitudo ei⁹ rei ex circumstantiis: haud enim incredibile est, Lysimachum amicum Callistheni in calamitatibus succurrisse; & Alexandrum ipsum ferocissimo leoni obiici iussisse, Lysimachumque postea leonem arrepta lingua sic exanimavisse: cum ut Plinius ait, *omnis vis leonum in oculis constet*; nam leo manum, quia amiculo involuta erat, conspicere nequibat. Confirmat denique etiam hanc rem consensus commemorationis horum scriptorum, dum unusquisque uno eodemque modo eam historiam describit.

Iust. 15, c. 3. Plin. lib. 8. cap. 16, 27. Sen de Ira 3, 17. & de Clementia lib. 1, c. 25.

Lib. 8, cap. 16, 27.

Pro destructione.

HÆc omnia quæ iam dicta sunt Curtii autoritas destruit, omnibus

bus ceteris præferenda. Trogus quidem gravis quoque autor est, sed non ut & ceteri scriptores, ex professo res gestas Alexandri descripsit: Curtius enim solus verissime & accuratissimè eas executus est. Neque Seneca talia præcipue tractavit, verum ceu morale tantum exemplum induxit: argumentũ etiam contra est, quod diligens rerum Alexandri scrutator Arrianus huius facti plane nullam mentionem facit. Causa autem huius erro-

Lib. 8, c. 1. roris detecta est à Curtio. Cum aliquando in venatione *inter feras leo magnitudinis raræ ipsum regem invasurus incurreret; forte Lysimachus, qui postea regnavit proximus Alexandro, venabulum obiicere feræ ceperat. Quo rex repulso, & abire iusso adiecit, tam à semetuno quam à Lysimacho leonem interfici posse. Lysimachus enim quondam, quum venaretur in Syria, occiderat eximiæ magnitudinis feram solus: sed levo humero usque ad ossa laceratus ad ultimum periculi pervenerat. id ipsum exprobrans ei rex, fortius quam locutus est, fecit. nam feram non excepit modo, sed etiam uno vulnere occidit. Itaque fabulam hanc, quæ obiectum leoni à rege Lysimachum temere vulgavit, ab eo casu ortam esse credit.* Congruunt ea minime

Iust. 15, c. 3. etiam prudentiæ Lysimachi; qui illustri loco natus erat, sed virtutis experimentis omni nobilitate clarior; quæ tanta in illo fuit, ut animi magnitudine, philosophia ipsa, viriumque gloria omnes per quos Oriens domitus est, vicerit. nam non ita apertè, ut ex historia videtur, Callistheni venenum in remedia calamitatum dedisset, cum scire potuerit, quod eo sibi ipsi interitum paraturus sit; raro enim fieri solet, ut quis studiò alterum liberet periculo, dum se in istud præcipitat. Consuetudo etiam Alexandri, vix fert talem ultionis modum, cum nullibi legatur, ipsum aliquem, tali pœna affecisse, cui indignatus sit: accedit denique etiam hoc, quod supplicium istud maxime inusitatum fuit.

Tyrannis Clearchi Heracliensis.

Iust. lib. 16, cap. 4. & 5. INter alia exempla tyrannidis, etiam hæc memorabilis historia Clearchi non postremum locum tenet, nefandissima enim quæque tyrannicæ crudelitatis is exercuit. Inde autem id malum ortum est, quod, cum maxima calamitatium necessitas esset, is ad

tutelam

tutelam patriæ revocatus ſit,cui patria antea interdicta erat; exilio enim facinoroſior is redditus, & diſſenſionem populi occaſionem invadendæ tyrannidis habuit: ſicque Heraclienſes ultrò cervicibus ſuis tyrannidem impoſuerunt. Autor tyrannidis erat Clearchus, adiutores eius ſenatores plebis, qui ad ipſum decurrerant & ad tutelam patriæ revocaverant: cum Mithridate quoque inprimis ſocietatem iniverat. Tyrannidem autem ſuam Clearchus ita conſtituit, dum LX. ſenatores comprehenſos (nam ceteri in fugam dilapſi erant) in vincula compegit; & ne quid mali, afflictis honeſtiſſimis domibus deeſſet, cum cognoviſſet,bellum ſibi ab iis, qui profugerant,parari,uxores eorum filiasque nubere ſervis ſuis,propoſita recuſantibus morte, compulit, ut ſibi fidiores, & dominis infeſtiores redderet. Flagitia tyrannidis maxima fuere; cum enim prœlio commiſſo victor tyrannus captivos ſenatores in triumphi modum per ora civium traxiſſet; reverſus in urbem, alios vincire,torquere alios,alios occidere cœpit: nimirum nullus locus urbis à crudelitate tyranni vacabat. Acceſſit etiam, ſævitiæ inſolentia,crudelitati arrogantia: interdum enim ex ſucceſſu continuæ felicitatis oblitus ſe hominem,interdum Jovis ſe filium dixit. Sed ſicut *Tyrannorum execrabilis ac brevis poteſtas eſt,& rarò ſine cæde & vulnere deſcendunt.* *Senec. lib. 1, de Clement, c. 11.* ita Clearchus quoque & eius adiutores eandem fortunam experti ſunt. Mox enim duo nobiliſſimi iuvenes Chion & Leonides hoc illum facere indignantes, patriam liberaturi in necem tyranni conſpiraverunt: & quinquaginta cognatis veluti clientibus in inſidiis locatis, ipſi more iurgantium, ad tyrannum veluti ad regem in arcem contenderunt: qui iure familiaritatis admiſſi. dum alterum priorem dicentem intentus audivit tyrannus, ab altero obtruncatus eſt. Sicque Senatores Heraclienſes adiutores Clearchi pœnam non effugerunt; nam dum potentiæ irati ſunt, in ſervitutem ſe tyrannicæ dominationis cum coniugibus & liberis tradiderunt; auxiliumque in ſuum exitium converterunt, ut ſupra vidimus.

De affinitatibus regnandi causa contractis.

Iust.17.c.3. PYrrhus cum filias suas finitimis regibus nuptum tradidisset, opes affinitatium auxilio magnas parasse dicitur. Hæc res admonet nos, ut aliquid dicamus de matrimoniis & affinitatibus principum, quæ plerumque regnandi gratia, firmandæque aut augendæ potentiæ contrahuntur. qua de re etiam Excellentissim. Bœclerus *in dissert. ad lib. I. Annal. Tac. cap.* 10. agit. Nuptiæ enim principum & affinitates sæpe non ex fide & charitate, sed ex usu dominationis & ad occasiones fraudis dispensatæ sunt: Sic
1. Ann. c. 10. §. 5. Antonius *nuptiis sororis ab Augusto illectus*, ut verè *Tacitus* iudicat, in speciem amicitiæ & societatis, & *postea subdolæ affinitatis pœnas morte exsolvit.* Huius rei plurima exempla enarrare possemus;
Dissert. in Tac. 1. Ann. c. 10. sed nolumus hic ea cum Clariss. Bœclero cumulare; cum præsertim satius sit, cogitare de nonnullis, quam scribere. nimirum non absurdè aliquis dixerit: Nuptias magnatum Principumque esse comœdias, quæ plerumque in tragœdias desinunt. Quare Barclaius etiam in Argenide *lib. III.* ait: *Scio à Regibus filias aut sorores spargi in eos, quos fallere amicitiæ specie volunt, vel ad tempus placare: nihilque deinde sui sanguinis pignoribus, nihil nominum, quæ mutuò inierunt reverentia motos, pacem & bella ex temporum & fortunæ æstimare ingenio.* Legantur plura in eo de hac re; & addantur notæ politicæ Forstneri *in lib. I. Annal. Tac. cap.* 10. Videndum autem iam est, an rectè se habeat illa consuetudo. Equidem propagare amicitias, sibique finitimos coniunctos reddere & bene-
Lib. 1, p. 33. volos, plena iustitia & prudentia est. Pertinetque huc quod apud *Herodotum* dicitur, de Lydorum & Medorum amicitia, coniugio Arienæ & Astyagis firmata: Sine vehementi necessitudine
Tac. lib. 15, cap. 55, 5. stabiles conventiones iniri nequeunt. Fallit tamen hæc ratio multoties non tantum, quia *cupido dominandi cunctis affectibus*
Tac. 1. An. c. 55, §. 5. *flagrantior est.* Tum etiam, quia illæ necessitudines, *quæ apud concordes vincula charitatis sunt, incitamenta fiunt irarum apud infensos.* Affinitates itaque tales, cum subdolæ sunt, & carent sincero affectu ac proposito, nec iustæ, nec felices haberi debent.

Alex-

Alexandri ſeveritas in poſteros parricidarum ſervorum.

MEminit Curtius in deſcribenda obſidione Tyri, maximæ multitudinis, quam Alexander interfici curavit, omittit autem cauſam quam autor noſter addit. Cum enim Tirii diu variteque Perſarum bellis fatigati, victores quidem fuiſſent, tamen attritis viribus, à ſervis ſuis multitudine abundantibus indigna ſupplicia perpeſſi ſunt: qui conſpiratione facta, omnem liberum populum cum dominis interfecerunt: atq; ita potiti urbe lares dominorum occuparunt, Rempublicam invaſerunt, coniuges duxerunt, & quod ipſi non erant, liberos procrearunt. Itaque Alexander Magnus, cum interiecto tempore in Oriente bellum gereret, velut ultor publicæ ſecuritatis, expugnata eorum urbe, omnes qui prœlio ſuperfuerant, ob memoriam veteris cædis crucibus affixit; quæ pœna omnium graviſſima eſt habita. Quæritur nunc, an recte factum ab Alexandro; quod difficulter affirmari poteſt: ſufficere enim ad pœnam inhibendam videtur, quod nemo ſuperſit, qui deliquerunt: probatur igitur à Grotio *Arriani ſententia damnantis vindictam Alexandri in Perſas, cum pridem interiiſſent, qui in Græcos peccaverant.* Clariſſimus quoque Freinshemius in commentario ſuo in Curtium Juſtini in hac re rationem, quanquam nitatur ſimili exemplo Branchidarum ob maiorum delictum exſtirpatorum; haud equidem cuiquam pro certa venditare cupit. Elegans etiam iudicium Curtii de hac re ſub exemplo Branchidarum Grotius notavit. *Quæ ſi in ipſos proditionis auctores excogitata eſſent; iuſta ultio eſſe, non crudelitas videretur: nunc culpam maiorum poſteri luére, qui ne viderunt quidem Miletum, adeo Xerxi non potuerunt prodere.* Quare, ut Curtius ait, *triſte deinde ſpectaculum victoribus ira regis præbuit.* Inquis! At ratio Alexandri magna fuit, ut cum ſervili germine etiam metuendum omnibus gentibus exemplum extingueret, adeoque publicæ ſecuritatis ultor exſiſteret, quod Iuſtinus quoque videtur indicare. Reſpondendum autem hic exiſtimamus; potuiſſe Alexandrum ignominia aliqua perpetua notare poſteros ſervilis civitatis, aut etiam pleroſque in ſervitutem abducere (quod iure

Lib. 4. c. 4. *Iuſt. 18. c. 3.* *Lib. 2. cap. 21. §. 8.* *Lib. 4. cap. 4. 17.* *Lib. 7. cap. 5. 35.* *Lib. 4. cap. 4. 17.*

belli

belli gentilibus in captivos licebat) urbemque novis ac ingenuis incolis replere. Ita exemplo & securitati consultum esset; sed capitale supplicium in posteros ob delicta maiorum vix unquam idonea ratione defendi potest.

Imperatorum in bello libera an restricta debeat esse potestas?

Iust.19,c.2. MOvemus hanc quæstionem occasione autoris nostri, qui *lib. XIX, c. 2. §. 5.* Carthaginensium exemplum proponit; apud quos cum imperatores primo fuissent ἀνυπεύθυνοι, omnia enim ipsi simul agebant & iudicabant, postea rationem coacti sunt reddere gestorum. Distingui autem hic debent tempora & negotia. Nam in ipso bello gerendo magnæ rationes sunt, ob quas permititur imperatoribus ex arbitrio agere: verum confecto bello, ut rationes gestorum reddant, non videtur absurdum. Vnde & apud Plinium in panegyrico ille mos commendatur, *ut imperator cum imperio calculum ponat.* Confirmari hoc etiam potest per singulas Rerumpubl. formas. Nam in liberis quidem Rebuspubl. ipsa ratio status, ut sic dicam, videtur requirere, ne qui magistratus, ne qua imperia plane libera & absque lege sint. In regio imperio itidem maiestas regnantium quodammodo postulat, ut omnes sciant, *rerum omnium rationem uni reddendam esse.* In eo quidem expeditiora sunt Regum consilia, quod interdum ex utilitate negotiorum concedere possunt liberam pleraturmque rerum potestatem, unumque & alterum imperatorem nimia sollicitudine reddendæ rationis de omnibus liberare: Videatur etiã hac de re Clariss. Berneggerus quæstion. 35. Moderatio tamen, ut in omnibus aliis rebus hic quoque utilissimum fuerit. Neq; *Lib. 5, c 3.* enim Carthaginensium in duces severitas Valerio Maximo descripta, probanda videtur: quippe *qui* etiam *Annibalem, qui pro illorum incolumitate & victoria, tot imperatores, totque exercitus trucidaverat; quot gregarios milites hostium si occidisset, magna gloria foret; è conspectu suo submovere in animum induxerunt.*

Pytha-

Pythagoræ Philoſophia & diſciplina, quæ Crotonam formavit.

FVit Pythagoras vir doctiſſimus, ac præſtanti ſapientia & nobilitate; cui etiam maxima laus debetur, quod ſummam ſcientiam philoſophiæ conſecutus ſit, omnibusque rebus ad eam diſciplinam neceſſariis ſe inſtruxerit, quare princeps Italicæ philoſophiæ à Diogene Laertio appellatur, cuius quoque vita ab eodem elegantiſſime deſcripta extat. Multa ſic ſecula viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur. Sed quid opus eſt conquirere elogia tanti viri, cum ipſa diſciplina inſtar ſit omnium elogiorum: qua optime Crotonam formavit. Ante omnia enim ſtudium virtutis, ut fundamentum totius ſalutis Reipubl. præcepit: ſine qua laudabilis & firma Reſpubl. nulla unquam fuit nulla etiam erit. Deinde populũ quoq; iñ luxuriam lapſum autoritate ſua ad uſum frugalitatis, velut genitricem virtutis revocavit: quanto minus enim rerum, tanto minus cupiditatis eſſe ſolet; quod Scythæ bene notarunt, qui aurum & argentum non perinde ac reliqui mortales appetebant, quæ continentia maximam ipſis iuſtitiam dedit. Luxum ex adverſo Pythagoras abolevit, quia, ut Florus ait, *opes atque divitiæ ſæpe afflixere ſaculi mores, merſamque vitiis ſuis, quaſi ſentina, Rempublicam peſſum dedere; & magnificus apparatus conviviorum, & ſumptuoſa largitio, ab opulentia mox egeſtatem parit.* Præterea docuit matronas pudicitiam & obſequia in viros; quippe ſanctè coniugia haberi debent: Liberos vero modeſtiam, quod vocabulum omnem quaſi diſciplinam continet: ubi enim arrogantia animo inſidet, ibi nulla bona diſciplina eſſe poteſt. Studium quoque literarum non oblitus eſt; de quo multa multorum volumina extant: an & quale & quibus id permittendum ſit: quod ideo nunc omittimus. Poteſt hic obiter adhuc quæri, an iſtud ſodalitium 300. iuvenum Pythagoræ legibus originem debeat? Apparet quidem exinde Pythagoram multos diſcipulos habuiſſe, ex quibus fortaſſis hi bono fine convenerunt, quod tamen eos non ſatis excuſat, quippe conſenſu Reipubl. id agere debuiſſent: Prudens igitur obſer-

Iuſt. 20. c. 4.

Lib. 3, c. 12.

Lib. 34, 2. vatio est apud Livium, qui ait: *ab hoc genere summum periculum est, si cœtus, & concilia, & secretas consultationes esse sinas.*

Carthaginensium severitas in ulciscendo Hannonis scelere.

Iust. 21, c. 4. AUsus erat Hanno, interfecto senatu, invadere regnum Carthaginensium. Sed secunda vice proditus captus est, virgisque cæsus, effossis oculis, & manibus cruribusque fractis, velut à singulis membris pœnæ exigerentur, in conspectu populi occiditur: corpus verberibus lacerum in crucem figitur. Filii quoque, cognatique omnes, etiam innoxii supplicio traduntur. Meritò ergo hic aliquis quærat, an iure potuerint filii cognatique propter ipsius scelus puniri. Fuit quidem talis etiam *lex Macedonum, qua cautum erat, ut propinqui eorum, qui regi insidiati sunt, cum ipsis necarentur. Apud Venetos sic erat, ut mortuo duce, eius administratio examinaretur, & in cognitionem traheretur, quæ si paulo iniquior & ferocior fuit, sævitum est in mortuum, eiusque propinquos.* Ceterùm fiebat id partim, ut parentes amore liberorum à cæde principum abstinerent, partim quod paterni, hoc est, hæreditarii criminis exempla in filiis metuuntur. Inprimis verò propter cupiditatem vindictæ paternæ, qua æstuant liberi hoc constitutum est. Rationes huius severitatis præterea etiam ab atrocitate criminis maiestatis & vindicta securitatis publicæ desumi solent; ut sic ab omni periculo liberi sint, nec quisquam secundum nostrum ad imitandum scelus, aut ad mortem ulciscendam ex tam nefaria domo supersit. Sed si dicendum, quod res est, colores hi magis sunt quā rationes. Nam, ut Imperatores Christiani aiunt, *ibi pœna esse debet, ubi & noxa. Huc ergò & vulgatū illud pertinet; noxa caput sequitur. Philo quoq; ait: iustum esse, eorum esse pœnas, quorum sunt peccata; reprehendens morem quarundam gentium, quæ tyrannorum aut proditorum insontes liberos morte puniebant. Quod si ergo leges humanæ iniustæ sunt, ut Grotius dicit; quæ liberos occidunt ob parentum delicta, iniustior sanè lex Persarum & Macedonum devovens & propinquorum capita, quo, qui in regem peccarant*

(Marginal notes: *Curt. lib* 4 *cap.* 11, 20. — *Clapm. de Arcan. Rerump. lib* 4, *cap.* 15. — *Iust. lib.* 21, *cap.* 4, 8. — *Grot. de I. B. & P. II, cap.* 21, 13. — *de I. B. & P. II, c.* 21, 15)

carant, tristiores perirent, cuius legis diritate exsuperari leges omnes scripsit Ammianus Marcellinus. Adiiciemus adhuc sententiam Clapmarii *de arcan. Rerump. cui iniquissimum videtur, quod in coniuratorum sobolem nonnunquam æquè severè atq; in autorem animadvertitur, etiam innocentissimam; Regulariter enim crimen vel pœna paterna nullam filio maculam infligere posse.* Illud quidem securitatis publicæ causa forte concedi posset, si in vindicta huius criminis tota domus aliqua labe notaretur, vel honoribus prohiberetur: *quod etiam in Arcadii lege tolerabile in liberos erat; ne ad aliquos honores & sacramenta perveniant.* Sed ad supplicium capitale innocentibus inferendum nulla idonea ratio suppetit. *Lib. 4. c. 15.* *Grot. de I. B. & P. 2. cap. 21, 16.*

Fortunæ mira mutatio apud Charthaginenses.

QVam varia & incerta est fortuna? quæ hodie aliquem magnum reddit, cras alium aut nullum, cui proprium est, erecta deiicere, deiecta erigere. Eius rei nobile exemplum Carhaginenses nobis præbent, qui paulò ante victores, postea victi sunt: ut stupor & admiratio omnes incesserit, unde tanto imperio tam subitum bellum præsertim ab hoste iam victo. Sed locum hic habent verba ista apud Senecam *de Tranquillit. animi*: quod nempe *nullum regnum, cui non parata sit ruina, proculcatio, & dominus & carnifex: nec magnis ista intervallis divisa, sed hora momentum interesse inter solium & aliena genua.* Quæ autem causa fuit Carthaginensibus huius infortunii? ipsorum securitas, quæ tamen maximè fugienda erat; *nemo enim celerius opprimitur, quam qui nihil timet, & frequentissimum initium calamitatis securitas est.* Negligentia quoque Carthaginensium hic culpanda, qui non prius omnia satis secum volutaverant; an patriam ad obsidionis necessitatem multo frumento & stipendio instruxerint, an satis virium ad tutelam eius reliquerint; & quæ eius generis alia sunt, quæ ante omnia prius benè provideri debuissent. Superbia quid ibi effecit, illa certè principalis causa fuit exitii: cuius assidua comes deiectio & pœna. Ex parte verò Agathoclis & Syracusanorum magna consilii peculiaris prudentia apparet, quam ideò etiã *Iust. 22, c. 4 & seqq.* *Lips. polit. lib. 2, c. 15. 11 not.* *Lips. pol. lib 2. c. 15. 10. not.* *cap. 11.* *Vell. lib. 2. cap. 118, 4.* *Lips. pol 2. 55, 10. not.*

 victo-

Lib.22.cap. 4.24 victoria secuta est. Ait enim autor noster: mira prorsus audacia, ut quibus in solo urbis suæ par non erat, eorum urbi bellum inferret; & qui sua tueri non poterat, impugnaret aliena, victusque victoribus insultaret. Quare Scipio quoque apud Livium dicit: *multum interest alienos populari fines, an tuos uri exscindique videas: nam plus etiam animi est inferenti bellum, quam propulsanti.* Quo consilio Scipio prudentissimè usus est, manente enim in Italia Hannibale, transmisso in Africam exercitu, necessitatem Carthaginensibus imposuit revocandi Hannibalem: sicque à domesticis finibus in hostiles transtulit bellum.

Hiero, sive raræ indolis & fortunæ omina in ipsa infantia ostensa.

Iust.23.c.4 SVB finem libri XXIII. autor noster Hieronis quoque mentionem facit viri nobilissimi. Erat enim ei maximè regia indoles, quæ iam in adolescente apparuit, quare ipsa etiam infantis educatio quasi prænuntia fuit ingentis futuræ maiestatis. Iust. 2, c.9, 15, Lib. 7, cap. 2, 13, Lib.7,c.5,2 Habuerunt & talem egregiam indolem apud nostrum Themistocles adhuc adolescens, Amyntas & Philippus. Quippe genitus erat iste Hiero patre Hieroclyto nobili viro, sed maternum illi genus sordidum atque pudibundum fuit. nam ex ancilla natus ac propterea à patre velut dehonestamentum generis expositus fuerat; sed non diu post parvulum recollegit, omnique studio ad spem maiestatis instituit. Varia enim omina acciderant, quæ infanti regnum portendebant; ista diligenter etiam à nostro descripta sunt, quibus plerumque etiam scriptores elogia nobilissimorum virorum condecorare solent, Suetonius quoque in describendis imperatoribus multa huiusmodi omina refert. Parvulum expositum & humanæ opis egentem, apes congesto circa iacentem melle, multis diebus aluere, donec à patre, ut iam supra dictum est, collectus. Eidem in ludo inter coæquales discenti lupus tabulam, in turba puerorum repentè conspectus, eripuit. Adolescenti quoque prima bella ineunti, aquila in clypeo, noctua in hasta consedit. Quod ostentum & consilio cautum, & manu prom-

promptum, regemque futurum significabat. Ob suam enim maximam moderationem postea consentiente omnium civitatium favore, dux adversus Carthaginenses primùm, mox rex creatus est. Virtutes eius regiæ & dotes maximè insignes fuére. Nam adversus provocatores sæpè pugnavit, semperque victoriam reportavit. à Pyrrho rege multis militaribus donis donatus est. Pulchritudo ei corporis insignis, vires quoque in homine admirabiles fuere: in alloquio blandus, in negotio iustus, in imperio moderatus: prorsus ut nihil ei regium deesse, præter regnum videretur.

Quoniam l. 2. c. 8. Pisistrati Tyranni *nomine*: *at re* (*in multis quidem*) *optimi Principis* secundum Lipf. comm. ad Senec. lib. 3. de Ira cap. 11. fit mentio, vel Corollarii vel paradoxi loco sequentem comparationem inter ipsum & Augustum apponemus.

PISISTRATVS. Herodot. l. 1.	AVGVSTVS. Tac. 1. *A.* c. 1.
Cum seditio orta esset inter Paralios & Pediæos &c. tyrannidem animo agitans (Pisistratus) *tertiam ipse factionem excitavit.*	Cuncta discordiis civilibus fessa nomine Principis sub imperium accepit.
Herod. ibid.	Tac. 1. *A.* c. 3.
Imperio potitus, nullis, qui tum erant, magistratibus perturbatis, neque legibus mutatis, sed in præsenti statu manens &c. urbem exornavit. Plutarch. in Solone. *Indignabatur, si præsentem rerum statum quis moveret, aut res novas affectaret.*	Domi res tranquillæ, eadem magistratuum vocabula.

A. Gellius l. 6. c. 17. N. A.

Libros Athenis disciplinarum liberalium, publicè ad legendum præbendos, primus posuisse dicitur Pisistratus tyrannus: præcipuè apud Aelian. l. 13. c. 14. *collectis in unum omnibus* (Homeri libris) *Iliadem & Odysseam confecit.*

Pausanias in Attic.

Pisistratus templum Iovi Olympio facere cœpit Strabo l. 9. *Ipsum Jovis Olympii templum semiperfectum reliquit. De Pythio Apollinis templo*, ut & de *Lyceo* Suidas in voc. Λύκειον Πύθιον.

Cicer. l. 3. de Orat.

Quis doctior iisdem illis temporibus, aut cuius eloquentia literis instructior fuisse traditur, quam Pisistrati? qui primus Homeri libros, confusos antea sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. confer Valer. Max. l. 8. c. 9.

Aristotel. 5. Pol. cap. 10.

Pisistratus aliique tyranni facti sunt ἐκ δημαγωγίας.

Isocrates in Panatthen.

Præstantissimos civium; & Oligarchico, eiecit.

Sueton. c. 29.

Templum Apollinis excitavit &c. Addita porticus cum BIBLIOTHECA Latina Græcaque.

Sueton. c. 29.

Jure gloriatus est, Marmoream se relinquere (*Romam*) quam lateritiam accepisset&c. Publica opera plurima extruxit: ex quibus vel præcipua Forum cum æde Martis Vltoris: templum Apollinis in Palatio, ædem Tonantis Jovis in Capitolio &c.

Tacit. 13. A. c. 3.

Angusto prompta ac profluens, quę deceret Principem, eloquentia fuit. Sueton. c. 86. Genus eloquendi secutus est elegans & temperatum &c conf. c. 85. de ipsius scriptis.

Tac. 1. A. c. 2.

Ad tuendam plebem Tribunitio iure contentus.

Tac. 1. A. c. 2.

Cum ferocissimi per acies aut proscriptione occidissent. c. 10. Proscriptionem civium, divisionem agrorum, ne ipsis quidem qui fecere, laudatas.

Finis partis prioris.

Ad Ornatissimum Dn. Respond.

ILlustres animas accendit, & æquat Olympo
Heroüm virtus, quando illam in imagine pictam
Cernunt, tunc his nulla datur requies, neque somnus,
Vsque exoptatam liceat pertingere metam.
Sic quoque, MOCKELI iuvenum flos inclyte, volvens
Heroum tot facta, animus virtutis amore
Flagrat, & hæc scriptis dum tentas condere doctis
Spem facis egregiam; te quondam singula factis
Esse expressurum, quæ iam legis: euge labora
Vt vehat ad seros nomen tibi fama nepotes.

Honoris ergo apponebat
Paulus Christoph. Forstner.

Nobiliss. Dn. Respondenti.

QVæ quondam Trogus, prisci Facundia secli,
Lumenque historiæ, maiore volumine scripsit,
In brevius contraxit opus Justinus, & inde
Vtilium corpus confecit nobile florum. *a) Justin. in Præfat.*
Ex hoc, MOCKELI, florum dum corpore digna
Cognitione legis, propriosque reponis in usus,
Egregium moliris opus, quod laudibus æquis
Certatim cupiunt faciles decorare Camœnæ.

scr.
Ioh. Iacob. Reusner, Liechten. Hanoic.

VErba, tractu maximo diffusa, comprehendere
Strictioribus pagellis, laude res dignissima.
Hacce splendidum decus MOCKELIANI sanguinis,
Flos iuventæ, speciem virtutis Augustissimum
Optimè cognoverat, cum pauca paucis poneret.
Quippe, quæ Justinus ex Trogo prius collegerat,

Non

Non placebant: Digna lectu, digna visu, ait, extraham,
Vt nihil nisi succus adsit, suavior discentibus.
Perge sic Auguste, *quo sis pacis* Augustissimæ
Lumen, & tandem fias compos paternæ gloriæ:
Nobilem te dicere, omnibus ipsa virtus imperat.

Sic grata mens & affectus sincerus intimo
suo gratulari voluit
M. Abrahami Fischeri, *Argent.*

QVæ *Rex cælorum* primis primordia regnis
Indidit, & quonam bellandi increverit ordo
Omine, quisque sibi primus tormenta propinguæ
Intulerit genti, & miserandas terruit urbes,
Quæque diu steterit Respublica, quæque ruinam
Passa; gravi quondam elogio tersissimus autor
Trogus Pompeius librum compegit in unum:
Res mirata diu, res digno digna labore
Inter culta bonos: cumque hæc industria vidit
Justini; ut loquitur peregrinus gesta suorum
In propria lingua; satis utile id esse putarat;
Vt peregrina suis quoque gens Romana referret
Ore suo, magnum toties volvendo volumen
Pompeii, in paucas opus haud ignobile chartas
Conscripsit, quo nunc toto celebratur in orbe.
Verùm, *Auguste*, tibi quantum debetur, in istis
Quod memoranda libris memoranda laude refingis,
Quo dico, & dicam ferri te nomine fas est?
Te iuvenum florem & studiosi nobile cœtus
Lumen, adest nomen, tibi quo signare labores
Constitui hosce tuos, *Augustum*, nomine laus est
Juncta *Augustæ* tibi, quo ferri laude mereris.

Gratulanti animo nobili & eximio Dn. Respondenti scripsit
Iohannes Henricus Copp.



I. N. D. N. J. C.

LAUDABILIUM POLITICORUM,

ex Iustino,

PARS POSTERIOR,

Quam

DIVINO NUMINE ANNUENTE,

Sub Præsidio



VIRI,

Reverendi admodum, Excellentissimi, & Clarissimi,

DN. IACOBI SCHALLERI,


SS. Theol. Doct. & Philosophiæ Practicæ Professoris celeberrimi, spectabilis, h. t. Collegii Philosoph. Decani, Fautoris sui plurimum suspiciendi.

SOLENNI

Eruditorum Examini ad d. 31. M. August.


proponit

CHRISTOPHORUS JACOBUS MOCKELIUS, Halæ Natus.



ARGENTORATI,

Typis FRIDERICI SPOOR, Anno cIↃ IↃc XLIX.



Leo Imperator in Κεφαλ. παραινετικοῖς ad Basilium filium.

Per Historias veteres ire ne recusa. Ibi enim reperies sine labore, quæ alii cum labore collegerunt, atq; illinc hauries & bonorum virtutes & improborum vitia: vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conversiones: mundi huius instabilitatem, & imperiorum præcipites casus. Et ut verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia. quorum illa fugies, ne in divinæ Iustitiæ manus incidas; hæc amplecteris, ut præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.



Nobilißimo & Excellentißimo
Domino,

DN. GEORGIO SNOILSKY,

Sacræ Regiæ Maiest. & Coronæ Sueciçæ Consiliario, & per Alsatiam Legato.

Tum

Nobilißimo, Eximioque
Domino,

DN. IOHANNI FRIDERICO Jägern/

in & à Jägersberg Jurisconsulto, & Duci Wurtenbergico à secretioribus Consiliis.

Salutem & Observantiam D.



VVM PRIMVM DISSERtationis huius elaborandæ consilium

lium ſuſceperam, PATRONI & FAVTORES æternum honorandi, virium mearum imbecillitas & celeritas, quam in conſcribendo ut adhiberem temporis me compulit ratio, ancipitem cogitanti curam adferebat, mereretur ne hic qualiscunque noſter labor cum Patrocinio nominis veſtri in lucem prodire. Diſcuſſit tamen illud omne, quod fortaſſis pilum conatui iniicere valuiſſet, & ſpei veſtræ, quam de me concepiſtis, & benevolentiæ, quâ me & parentem ſemper comprehendere dignati eſtis, recordatio. Præterea cum & vitæ ſtudiorumq; meorũ rationem vobis præcipuè approbare obſtrictus ſim, id ipſo opere ut declararem, decrevi alteram Juſtini partem evolvere, & fratris exemplo Memorabilia, quæ in eo continentur, colligere. Ita quidem ut ea tantum attingerem, non verò latè extenderem; Alias enim rerum Memorabilium amplitudo integrũ volumẽ exigeret. Hanc igitur Diſſertatiunculam, *Solenni* συζητήσευ

pro-

propediem examinandam; ceu ſtudiorum meorum ſpecimen & qualecunque monumentum Vobis NOBILISSIMI DOMINI conſecro, & primam penſionis ſolutionem offero. Et ut hilari fronte accipiatis, & mihi veſtrarum virtutum admiratori cultorique perpetuo, deinceps quoque faveatis, quantum poſſum opere, qua par eſt, ſubmiſſione oro. Ceterum ſpero alios vitio mihi non daturos, quod hoc publicè diſputandi munus ante annos huic pares oneri ſubire auſus fui. Quippè morem gererem viſum eſt monenti Quintiliano, *Non eſſe nimis longè differendum Tyrocinium, nam quotidiè metus creſcit, maiusque fit ſemper quod auſuri ſumus opus; & dum deliberamus, quando incipiendum ſit, incipere iam ſerum eſt. Quare fructum ſtudiorum viridem & adhuc dulcem promi decet, dum & venia & ſpes eſt, & ſi qua ſunt dicta iuveniliter pro indole accipiuntur.*


Quod supereſt DEVM TER OPT. MAXIMVM ardentibus ſuſpiriis invoco, ut vos diu ſervet incolumes, me pariter meaque ſtudia, profectus, ſpes, Vobis, NOBILISSIMI DOMINI,

Quâ decet humilitate & reverentia,

commendo

Chriſtophorus Iacobus Mockelius,
A. & R.

Nobi-



Nobilißimis Fratribus,

Dominis,

AUGUSTO FRIDERICO & CHRISTOPHORO JACOBO } MOCKELIIS.

MOCKELII Fratres, nostri quos fulgida Phœbi
Inter laurigeros aluerunt castra triũphos;
Promite thesauros animi, procedite faustis
Alitibus, recto premite & vestigia gressu
Magni BOECLERI; totas qui duxit Athenas
Ad Boream, loca dura gelu. Is dum bella Gothorũ,
Dum populum latè victorem, oracula Magnæ
REGINAE pandit, docta & dulcedine linguæ
Illustres animas clarum dimittit in ævum:
Nos hic interea lugemus pectore Suadam
Sublatam ex oculis longum & testamur amorem
Eius, qui calamos nostros non dixit inertes.
Vivit in ore virûm PATRVVS, post fata superstes,
Ecclesiæ atq; scholæ gratum & memorabile nomen:
Inge-

Ingeniiq; suis monumentis vivet in ævum,
Quæ non imber edax aut innumerabilis ista
Diruet annorum series. Quascunq; per oras
Vivit in ore virum Pater, arte & rebus agendis
Vndique conspicuus, quem nulla oblivia condent.
Accipite exemplum magnum, florescite Musis,
ARTIBVS atq; BONIS fastigia scandite honoris,
Ingeniis altis hilares. Vos cuncta loquetur
Tellus, perpetui & ducent in secula Fasti.

Amoris E. apposuit
Præses.

Nobili, Eximio & Doctissimo, Fratrum pari,
Dnn.
AVGVSTO FRIDERICO & CHRISTOPHORO JACOBO MOCKELIIS.
amicis suis.

PRiscis MOCKELIOS suam iuventam,
Et læta ingenium vigens iuventa
Addixisse iuvat, probisque chartis.
Quos laudes veterum eruditionis
Exornant, pariterque prisca virtus,
Par priscis decus hos referre par est.

Robertus Koenigsmannus.



LAVDA-



LAVDABILIVM POLITICORVM EX JVSTINO,

PARS POSTERIOR,

à

Libro XXIV. usque ad finem Epitomarum.

Ptolomæi Tragica scelera tragico exitu finita.

MEmorat hoc libro Justinus nefanda Ptolemæi scelera, quibus sororis suæ Arsinoes filios vita & ipsam Cassandreæ urbis possessione privavit. Ad horum consiliorum exitum, ut perveniret, sanctissima præ se tulit nomina, amoris, reconciliationis, concordiæ, matrimonii cum sorore contrahendi. Quin imò iurisiurandi religionem interposuit, ut sororem sibi conciliaret, & conciliatam perderet. His adiecta sunt varia blandimenta, nuptiarum celebritas, diadema regium Arsinoes capiti impositum. Donec occupata Cassandrea, sorore meandemque coniugem duplici mascula prole, & quidem in matris gremio interfecta spoliavit. *Iust. Lib. 24. c. 2. & 3.*

Tantus scelerum cumulus ex cupiditate dominandi natus est. Recte quidem Tacitus *cupidinem dominandi omnibus affectibus flagrantiorem dicit.* Sed quanta sit vis huius vitii, tum demum cernitur, quando in animum crudelem, ferum, pravum incidit. Tum enim verissimum est, quod veteri verbo dicitur: *nullam esse crudeliorem homine bestiam. Sed nec Ptolemæo inulta scelera fuerunt*: inquit Historicus. *Quippe diis immortalibus tot periuria &* *Lib. 15, cap. 53. 5.*

tam cruenta parricidia vindicantibus brevi post à Gallis spoliatus regno, captusque, vitam ferro, ut meruerat amisit. Grave & verum ab homine Ethnico indiciū, quod arguere meritò debet, eos, qui periuria & parricidia inter artes & sacra regni commendare audent. Melioris politices studiosi firmiter sciunt & credunt, nulli hominum periuria aut parricidia inulta unquam fuisse, aut futura esse:

Tibull.

> — — *Et si quis primo periuria celat,*
> *Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.*

Iust. 4. & seqq.

Gallorum in Græcos expeditio.

Grot. de iure belli l. 2. cap. 2. §. 16. & 17.

HVius expeditionis causa erat multitudo incolarum, quibus Gallia abundabat, & ob id ipsum aliquot millia hominum ad sedes novas quærendas emittebat: quod Justinus *Ver sacrum* appellat. Tales an sint recipiendi iuxta Grotii sententiam obiter respondeo: illis iusto bonoque titulo sedem denegari non posse, *dum & imperium quod constitutum est subeant, & quæ alia ad vitandas seditiones sunt necessaria.* Nam sic Aeneæ causa æqua erat, *cum sedium inopia compulsus ad Latinos Aborigines venisset. Barbarorum enim est hospites pellere*, inquit Strabo ex Eratosthene. Ita tamen ne vi & armis sedem quærant, ubi eos recipere nemo mortalium tenetur. Sicut exemplo esse possunt hoc loco Galli, qui sedem armis quæsiverunt, omnesq; actiones & consilia ad raptū direxerunt: *ut etiam ingens terror Gallici nominis fieret.* Sic Galli ob prædam opimam orientis in Macedoniam irruperunt, omniaque in modum latrocinii deprædati sunt. Vbi victis Macedonibus, in superbiam prolapsi, *prædam religioni aurum offensæ Deorum immortalium pratulerunt.* Macedones verò *plus in Deo, quam in viribus reponentes* in templum Delphici Apollinis confugerunt, scandentesque Gallos è summo montis vertice, partim saxo, partim armis obruerunt. Et sic ex tristi principio lętior evenit eventus: contra ex parte Gallorum lætiori ex principio tristis successit eventus.

Pyrrhus Bellator.

PYRRHVS natura pronus in bella erat: in quibus gerendis valde assiduus & studiosus erat, qui neque ab ulla magnitudine, neque ulla multitudine hostium deterreri potuit. Victoriæ eius, (quæ ex multitudine hostium æstimandæ) valde insignes fuere, ut etiam omnis Græcia admiratione nomine eius, simul & rerum gestarum gloria attonita esset. Exitus quoque militaris ita celebris, ut patriam suam, angustam ignobilemque & claritudine nominis sui toto orbe illustrem redderit: quod & ipse Justinus testatur; nullum nec eius nec superioris ætatis regem comparandum Pyrrho fuisse. *Iustin, lib. 25.* *Iust, cap. 5, v. 3.*

Hoc solum, quod in eo culpatur, nomen virtutis militaris non meretur, nimia scil. cupiditas bellandi, cui ita deditus, ut etiam, nec maiorem ex imperio, quam ex bello voluptatem ceperit: quod idem Plutarchus in vita eius testatur. Et ut ad devincenda regna invictus habitus ita devictis acquisitisve celeriter caruit.

Tyrannis Aristotimi.

POst obitum Pyrrhi magni bellorum motus fuere; ubi, *ut in turbido statu fieri solet, res in Tyrannidem excrevit.* Nam inter turbatarum provinciarum motum homo ambitiosus (quod proprium tyrannorum) Aristotimus tempori inserviens imperium simul cum Tyrannide occupavit. Quod non solum crudeliter aggressus est, sed etiam gessit. dum multos sibi suspectos ex primoribus occidit, plures in exilium egit: ita ut Taciti verba opere ipso quasi confirmaret, qui dicit: *suis temporibus nobilitatem, opes, amissos gestosque honores pro crimine: & ob virtutes certissimum exitium.* Deinde Tyrannidem quoque per avaritiam ostendit, dum matronas iussu eius exulaturas spoliavit, adeoque per illum dolum prædam captavit. Et, ut denique omnibus suis cupiditatibus, quæ ad implendos affectus faciebant, satisfaceret, virgines ad stuprum diripuit. Quæ scelera verè nomen Tyrannidis *Iustin. lib. 26, cap. 1.* *Hist. l. 1, c. 13, 4.*

merentur. Quare etiam mox dignum facinoribus exitum habuit. *Nihil enim difficilius, quam senem videre Tyrannum.* Quippe Hellanicus cum coniurata manu tyrannum quinto, postquam occupaverat Tyrannidem, mense oppressit.

Posset hac occassione quæri, an Tyrannicidium Hellanici laudandum sit nec ne. Nam alias non statim omnis tyrannus, ut quidam putant, iustè interfici potest, sed tanquam invasor; quod etiam Hellanicus hic fecit, & Aristotimum ut invasorem obtruncavit, quare factum eius minime improbamus. Vnde apud Græcos talis lex, quæ non modo talem tyrannum interfici concederet sed etiam iuberet.

Antiochus Hierax sive accipiter.

Iustin. lib. 27. cap. 2. IAm de Antiocho aliquid dicendum occurrit. Mos fuit veteribus virtutes hominũ & vitia, quæ maximè in iis emicuerunt, quibusdam cognomentis nominare. Hinc Antiocho nomen factum Hierax sive accipiter, quia etiam alias Accipitris titulo habendi rapiendique libido, ab Erasmo quoque veluti proverbiali loquendi genere notatur.

Hic autem titulus in Antiocho significat, aviditatem regni, quod totum, ut accipiter cibum, fratri eripere conatus est; putavitque se esurire, donec solus imperaret. ideoque omnia aliena latronis more, eripuit, sceleratamque audaciam sumsit. Turpe profectò in rege elogium, & quod cum nomine propositoque regni plurimum pugnat. Si enim ulla virtus certe Justitia alienis abstinens, suis contenta regem decet. Nam *remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia. Certè nullas opes viro, ac præsertim principi pulchriores honestioresque censeo, quam virtutem & iustitiam*: inquit Xenophon. Cumque virtus bellandi necessariis Reip. temporibus casibusque servanda sit, latrocinii ritus longissimè debet ab animis abesse; bella enim sine iustitia sunt latrocinia. Præsertim autem non regi modo sed homini vitanda est illa inhumanitas, quæ cupidine habendi in proximos & necessarios sævit.

Augustin. lib. 4 de civitate Dei cap. 4.
Xenoph. de de Cyri expedit. l. 7.

Hæc

Hæc quamvis clara sint,& aperta; tamen repenas Pseudopoliticos,qui talia principibus consilia suggerunt, quasi ultrò vellent eos ad commerendum accipitris titulum instigare; dum de proferendis regni terminis consulunt, *& id æquius quod validius esse, seque in armis ius ferre, & omnia virorum fortium esse putant.* quæ publica latrocinia,tantum abest,ut ullo nitantur humano iure,ut ferina potius, vel si quid etiam feris immanius est, existimanda sint. Nam ita B. Augustinus dicit; *inferre bella finitimis,& inde in cætera procedere,ac populos sibi non molestos,sola regni cupiditate conterere & subdere,quid aliud quam grande latrocinium nominandum est.* Sed tamen cupiditate latrocinii tales,modo nominati, non erubescunt, quin ius violent, & principi parricidia,(de suspectis intellige) omniave quæ obstant removenda suadeant. Atqui nos cum Demosthene dicimus: *multi sæpenumerò, dum maiora concupiverant,ea quoque, quæ iam obtinebant, amiserunt.*

Tac. lib. 15, cap. 1,6. Livius lib. 5. cap. 36.

Lib. 4. de civit. Dei cap. 6.

in orat. contra Aristogit.

Spartanorum in clade, & Antigoni in victoria magnanimitas.

Magnitudo animi per omnia quidem ferè virtutum officia ostendi potest: sed maximè eminet in ferenda adversitate aut felicitate: quorum illa per animi humani mollitiam: hæc per insolentiam,plerumque secus, quam debebat, regitur. Hic concurrit exemplum in utroque genere: nam & Spartani cladem exitiabilem fortiter,& Antigonus plenissimam victoriam moderatè tulerunt. In utraque enim re insignis cernitur animi magnitudo: in clade quidem Spartanorum,quod industriam,quantum humana virtus eniti potuit, imminenti cladi opposuerunt. quod clade affecti non amiserunt consilium & animi præsentiam: nullus apud eos stupor,nulli inanes questus, sed Reip. amor, atque de ea & pro ea solicitudo, dum magis omnes publicam, quam privatam fortunam lugebant. Qualia exempla paucissima leguntur. Quantum autem hæc magnitudo animi in tolerandis adversis possit, apud potiores politicos sæpè inculcatur. Clapmarius in arcanis inquit: *rebus deperditis sæpe magnus animus fortunam comminiscitur, atque ab audacia mutuatur.* Sed non

Iustin. lib. 28. cap. 4.

Lib. 3. c. 24. Tac. lib. 1. cap. 38,21

minus laudis ac utilitatis habet, res secundas prudenter ferre; & victoriã, qua nihil in rebus humanis insolentius est, regere: Non enim tam vincere pulchrum, quam victoria clementer uti: sic etiam vindictæ, cupiditatibus coercitis, sæpiᵘ bona fama quam oppressione inimicorum & vi gens devicta, adiungitur, ideoque *bellorum optimi fines, quoties ignoscendo transigitur*, nam & ab hostibus ipsis magna benevolentia captatur. Sicut Antigonus hoc loco. Cuius temperamentum non tantum communi clementiæ titulo commentandum est, sed magnanima insuper prudentia.

Tac. l. 12, cap. 19, 3.

Principum disciplina, virtus maiorum.

Iustin. lib. 29, cap. 1.

CVm historicus memorasset, eodem ferè tempore universi orbis imperia nova regum successione mutata esse: addit memorabile illud de regibus pueris: His regibus pueris, inquit, & si nulli senioris ætatis rectores erant, tamen in suorum quisque maiorum vestigia intentus, magna indole virtutis enituit. quæ verba monent nos de educatione & disciplina principum; quæ potissimum certis præsidiis perficitur: egregiis præceptoribus & rectoribus, deinde exemplis laudabilibus. Et de rectoribus quidem alias sæpè agitur: & nobis eò minus hic de iis agendum est, quia his regibus, de quibus Iustinus loquitur, fortuna temporis aut negligentia suorum rectorum copiam & adiumenta negavit. Exempla autem maiorum, quid effecerint in generosa regum indole notabiliter consignavit. habet enim reputatio domesticorum exemplorum aliquid voluptatis & illecebræ, ex ipsa cognatione sanguinis: deinde proprium quoque est generosæ indolis nolle degenerem videri. maior quoque fiducia & spes præclari eventus subnascitur per vestigia maiorum incedentibus. De quo elegans locus in Plutarchi Arato extat: At, *cui sponte*, inquit, *generosa ex maioribus indoles dedit, ut ait Pindarus, sicuti tibi, ut ad praclarissimam domesticorum exemplorum vitam componat: Huic felicitas sit meminisse præstantissimorum avorum suorum, audienti semper de iis aliquid & referenti.* Neque peculiaris hic penuria de

coris-

coris ex alienis laudibus aucupatur gloriam, sed sua cum illorum copulans, tanquam stirpis & vitæ duces celebrat. Et hoc est quod etiam apud Tacitum à malis quidem hominibus, à malo consilio, sed sententia non mala dicitur: *Neronem iuvenem satis amplis doctoribus instructum esse maioribus suis.* Cuius loci ideo fecimus mentionem, ut admoneret nos, male uti hac Philosophia, qui principes adolescentes ad licentiam exhortantur, & ne auscultent senioribus aut rectoribus, itemque viris amicis & prudentibus, subinde exstimulant. Ex horum sensu & mente C. Caligula apud Philonem de Macrone, quoties eum procul venientē conspiciebat, loquebatur: *Adest præceptor iam supervacuus, pædagogus non amplius pueri prudentioris seipso monitor, qui subito imperatorem obedire postulat non rudem regiarū artium, quarum magister videri vult, sed à quo ipse doctus nescio. Mihi certè ab incunabulis contigerunt educatores plurimi, patres, fratres, patrui, patrueles, avi, proavi, iam inde a primis R. principibus per paterni maternique generis seriem cognatione proximi: ne quid dicam de virtutum seminibus, quæ innasci solent in principe. Quemadmodum enim corporis animique forma, habitu, gestu, consiliis, actionibus, prognati maiores suos referunt, eodem modo probabile est in ipso semine delineari quandam habilitatem dignam principe. & audebit aliquis indoctus me, qui in materno utero & naturæ officina, imperator formatus fui nondum in lucem editus, docere artes imperatorias, quas dudum probe calleo? an credere fas est, in mentem venire posse, civi paulo ante privato & humili, regia consilia? attamen impudenter audent præire nobis imperatoria mysteria, quibus ipsi vix dum initiati sunt.* Non enim excludendi sunt hi adiutores, sed illa tantum pars doctrinæ commendatur, quæ domesticis exemplis constant. Sicut adhuc hodie rectissimè faciunt, qui principibus historiam maiorum suorum diligenter commendant.

Lib. 14, An. 52.

p. 999. edit. Paris.

Terræ motus ominosus.

MEntionem facit Justinus noster terræmotus inter insulas Theramenem & Therasiam, in quo ex profundo cum calidis aquis insula emersit. In Asia quoque eadem die motum ter-

Iustin. lib. 30, cap. 4.

terræ, Rhodum multasq; alias civitates, gravi ruinarum labe concusſiſſe, quasdam ſolidas abſorpſiſſe memorat. Hiſce atque talibus portentis, mutationes imperiorum & fata urbium populorumque prænunciari Lipſius confirmat; cum dicit, haud ſpernenda omninò videntur, *cælo terraque prodigia & fulminum monitus, & futurorum præſagia, læta, triſtia, ambigua, manifeſta.* Et exemplis illuſtrat Ammianus Marcellinus, ubi terræmotus præſagientes Bithyniæ & Nicomediæ clades recenſet: quæ prolixè enarrare haud neceſſarium duco; cum & alii ſcriptores iis abundent. Talia autem prodigia plerumque ominoſa eſſe, & minimè læta, ipſe quoque Ammianus teſtatur, qui dicit, *cum terræ pulſus nunciaretur, periti horum minus lætum eſſe pronunciabant.*

P. 5, c. 16. Verſ. 56. Tac. Hiſt. lib. 1, c. 3, 3. Lib. 17. Lib. 23.

Inter alia etiam meminit coniecturæ veterum de terræmotu, & maxime de cauſis eius, quas hac occaſione haud prætereundas cenſeo: cui⁹ hæc ſunt verba; *Accidunt, ut opiniones exiſtimant, inter quas Ariſtoteles æſtuat & laborat, aut in cavernis minutis terrarum, quas Græcè ſyringas appellamus, impulſu crebriore aquis undabundis: aut certe, ut Anaxagoras affirmat, ventorum vi ſubeuntium ima terrarum: qui cum ſoliditatibus concruſtatis inciderint, eruptiones nullas reperientes, eas partes ſoli convibrant, quas ſubrepſerint humidi. Unde plerumque obſervatur, terra tremente, ventorum apud nos ſpiramina nulla ſentiri, quod in ultimis eius receſſibus occupantur.* Qua de re etiam conſuli poteſt Seneca quæſt.

Totus liber VI. & Gilbertus Iachem lib. 7, cap. 16.

In talibus autem prodigiis gentiles valdè fuere ſuperſtitioſi, & omina multiplicarunt & undique captarunt, nam hoc ex ipſius Juſtini loco capi poteſt, dum prodigio territi, vates cecinere, oriens Romanorum imperium, vetus Græcorum ac Macedonum voraturum. *quibus exemplis totus Livius abundat*, ita ut hac in re officium hiſtorici ferè ſupergreſſus videatur. Sed hæc gentilium vatum, de quibus hic Juſtinus noſter loquitur, interpretatio, ex quadam rerum ſimilitudine petitur. Ita enim ſolebant in omnibus futurarum rerum explicationibus, etiam in ſomniis. Quod ideò monendum eſt, quia vulgo volebant perſuadere, ſe certa ſcientia & arcana arte iſta certis prædictionibus explanare poſſe: cum revera tota illa ars coniectorum, augurum, aruſpicum ceterorumque vatum, nihil niſi coniectura eſſet quadam rerum ſimi-

ſimilitudine adumbrata. Accedebat interdum audacia temerè & citra ſimilitudinem prædicendi aſſeverandique, ne dicam de adiumentis diabolicis, quæ plerumque ultimum ſubſidium gentilium prædictionum fuerunt.

Romanorum adverſus Annibalem Conſilia & artes.

ROmani, populus verè Martius, cum aſſidua gererent bella hoſtesque in omni penè terrarum parte invenirent, neminem tamen tam gravem adverſarium habuerunt ſicut Annibalem. Itaque etiam pace compoſita cum Pœnis, omnes rumores de Annibale captarunt ſibique in maius interpretati ſunt: adeoque decreverunt aſtu & fraude cum eo bellare, cum iam arma eſſent poſita. Igitur legatio Carthaginem miſſa, ad ſpeculandos actus Annibalis, ut ſi fieri poſſet, Annibalem per æmulos eius interficeret, metuq; inviſi nominis tandē populum Romanum liberaret. Et alia legatione ad Antiochū miſsâ dedi ſibi Annibalem poſtularunt. Iterum cum victoria Pruſiæ de Eumene rege Romam nuntiata eſſet, miſſi à ſenatu legati ſunt, qui utrumq; regem in pacem cogerent, & Annibalem depoſcerent, adeoq; non acquieverunt donec Annibal vitam abrumperet. An hæc à Romanis iure aut bono more facta ſint, poſſit aliquis dubitare. Non enim R. veteres *longe magis* præ ſe tulerunt, quod poſtea lapſis in peius moribus Tiberius iactavit, nimirum *non fraude, neq; occultis, ſed palam & armatum populum Romanum hoſtes ſuos ulciſci*. Deinde quoque pax compoſita occaſionē & ius nocendi inimico abſtulerat: atque quidquid Annibal adverſus Romanos inimicè fecerat, publico civitatis nomine fecerat. Nam *Iuſtinus* ait, eum bella non Romanorum magis odio, quā patriæ amore geſſiſſe, cui ab optimo quoque etiam ſpiritus ipſe debeatur. Denique non videtur Romanorum gravitate dignum eſſe, de tanto viro rumoribus credere, vel ex rumoribus aliquid adverſus eum ſtatuere. Fortaſſe diceret aliquis contra, non fuiſſe inania, quæ de Annibale Romam perlata ſunt; præſertim ab ipſis Carthaginenſibus, ad purgandam publicam conſcientiam, atque in Annibalem poti-

Iuſtin. lib. 31, cap. 1. & ſeqq. & lib. 32, c. 4.

Tac. A. 2, 88, 1.

Lib. 31, c. 4, 7.

us competere culpam pacis, non bona fide cultæ, quia non destiterit post bellum compositum hostilia in Romanos moliri. quare neminem teneri exspectare primum ictum, sed licere inimici molitiones, antequam proveniant, quacunque via intervertere. Distinguenda quoque esse negotia. Sicut enim fortè speciem artis illaudatæ haberent illa mandata, legatis Carthaginem missis data; ita nullum ius impedire, quo minus ab Antiocho victo inter conditiones pacis Annibalem dedi sibi postularent. A Prusia autem optimo iure potuisse petere, ne amicus P. R. inimicissimum Romano nomini secum haberet: Præsertim cum Annibal nova subinde adversus Romanos molimina exerceret. Sed quidquid sit, tamen Romani non in totum excusari posse videntur, cum non omnia præ timore, sed partim ex invidia & odio adversus Annibalem egerint.

Macedonici regni casus.

Iustin. lib. 33, cap. 1, & 2.

IMperium Macedonicum ab exiguis initiis in summum excrevit: ita ut inter maxima regna, quorum pauca numerantur, constitueretur. Quod autem sub Perseo rege, devictū à Romanis, vix per bina sæcula *sub regno fuit*. ut Iustinus narrat. Operę pretium ergò erit, de interitu eiusque causis aliquid dicere; quæ melius intelligi non possunt, quam si comparentur rex Perseus, & ultimi illi Macedones, cum Alexandro Magno, & priscis Macedonibus.

Liv. lib. 41, cap. 20. Curtius l. 3, cap. 2, 13.

In Alexandro ergò summa prudentia militaris emicuerat, consiliaque prompta & salubria nunquam defuerant; fortitudo eius insignis quoque erat, quod satis ex ipsius factis egregiis capi potest. In Perseo *nullus vigor militaris, nulla prudentia, sed eius loco superbia erat. Macedoniæ veteris gens torva & inculta, clypeis hastisquę immobiles cuneos & conferta robora virorum texit.* Vltimi verò hi Macedones cum his compositi fuere tyrones & calones, atque ut verum dicam, vitia, quæ olim Persæ tempore Alexandri, ea illi hoc tempore referebant.

Achæorum corpus dissolutum.

Me-

MEmorabile est & callidum Romanorum consilium in dissolvendo Achæorum corpore. quod quomodo perfecerint, mox ex oratione magni viri repetemus, si de republica & statu Achæorum aliquid dixerimus. qui hic fuit. ACHÆI, licet per civitates veluti per membra divisi fuerint, unum tamen corpus, & unum imperium habebant; singularumq; urbium pericula mutuis viribus propulsabant: eratque tanta confœderatorum conspiratio, ut iisdem imperiis, iisdem legibus, eadem religione, eadem lingua, sermone, eadem disciplina, iisdem moribus, iisdem nummis, iisdem mensuris, iisdem ponderibus uterentur. Quantum autem ad artes, quibus Reipubl. hoc corpus dissolverunt, attinet; Ampliss. vir Jacobus Gothofredus in orat. Achaica eas satis disertè proponit. Nimirum cum Romani cura Flaminii & Aristæni Prætoris favore Achæos primò à societate Macedonica avulserant, sibique adiunxerant fœdere exitiabili, lege tamen ea ut deinceps Lacedæmonii, quos ab Achæorum imperio Romani quodammodo distraxerant, in Achæorum fide & ditione essent; nisi de capite ac fortunis omnibus Lacedemonii civis ageretur. Verum hæc unio apud discordes illos incitamentum irarum fuit. Lacedæmonius enim gravis ab antiquo & assiduus Achæorum hostis: *Licet Achaico nuper Concilio per Philopæmenem nuper unitus, nondum tamen æmulationem veterem posuerat: ægrè igitur ferens Achæis exules quosdam à Romanis traditos, nocte adortus vicum maritimum, quibusdam cæsis improviso occupavit.* Tùm decretum huius rei autores nisi dederent violatum fœdus videri. Hoc superbo imperio Lacedæmonii offensi 30. hominibus ex factione Philopæmenis exulumque interfectis, societatem Achæis renunciarunt seque Romanis in ditionem obtulerunt. Romani controversiæ destinati arbitri, perplexo responso acrius iritarunt Lacedæmonios. Res tandem ad Romanos frequentibus utrinque legationibus relata. Subiit inter hæc discordiarum domi fomes, quod Achæi ipsi inter se dissentire, & in factiones partesque diduci cœperunt. Pars quippe Romanæ potentiæ admiratione capti, mollioribus deinceps consiliis agendum, Romanisque controversiæ disceptationem permittendam, imperata denique facienda censere. Pars contra patriæ amantes, palam obnunciare,

Iustin. lib. 34. cap. 1.

hoc facto Achaiæ Græciæque fatum accelerari, suis denique legibus ex fœdere legem hanc discingendam contendere. Cum iam igitur nonnullæ civitates secessionis ab Achæis cupidæ essent. Romani optumè illius gnari, *divide & regnabis*, denunciarunt, si qui vellent à consilio seu unione Achaica recedere id per Romanos licere. Iidemque qui secundum fœdus Achæis auxilia mittere debebant, vel saltem impedire ne ex Italia Messenam arma frumentumve importaretur, nihilominus Messenios non repressere, imò responso suo secessionem Messeniorum non improbavere, quasi ea res nihil ad se pertineret. His discordiis civilibus in factiones diducta Achaia, tandem per proditiones in potestatem Romanorum transiit.

Insignis verò inter alios proditor Callicrates memoratur, cui cum patriæ defensio Romæ adversus Lacedæmonios mandata fuisset, clam eam eiusque ius optimum prodidit, Romanis omni ope in Achæos concitatis. Qui patriæ remissus à Romanisq; commendatus, cum summo mox Præturæ honore augeretur; admoto ad gubernacula patræ proditore, certissima Reipubl. labes consecuta. Huius etiam opera cum bello Macedonico Perseus Achæis reconciliari quæreret, postularetque armorum societatem per fraudem elusus; hincque Macedonia Perseo victo, subacta & in provinciam redacta fuit. Nec minus huius proditoris impulsu deneagta ab Achæis fœderatis Ægypti Regibus auxilia, itemque Rhodiis; sicque ruptis etiam vetustis fœderibus labefactata est resp. Per idem quoque tempus à Sulpitio Gallo indultum Ætolis, ut seiuncti ab Achæorum concilio propriisque auspiciis Legatos Romam submitterent. Eaq; defectio ab senatu probata est, mandatumque Sulpitio, ut quam posset civitates plurimas ab Achaico conventu disiungeret. Collisi tandem inter se Achæi & Lacedæmonii per nonnullos etiam prætores, quorum fides auro victa vinctaque fuit: unde post demum à Romanis per L. Aurelium Orestem eò missum cum multis mandatis avulsi. Hunc in modum concilio Achaico soluto & tandem bello inter Romanos Achæosque orto, occupata, direpta, dirutaque Corintho, populus omnis sub corona venditus, omnisque Græcia libertate exuta est. Magnum igitur documentum,

quam

quam malè cautum sit unitis corporibus, ubi sunt, qui non in commune consulere amant, aut civilibus discordiis civitates unitas distrahi patiuntur.

Pseudo Alexander.

DEmetrius Orofernem à fratre per iniuriam regno pulsum, ut, ad ampliandas fines regni honestũ belli titulum haberet, supplicẽ recepit. Qui ingrato animo inita cũ Antiochensib⁹, qui tunc Demetrio offensi, pactione, pellere ipsum regno à quo restituebatur, consilium cepit. Sed adiuvantibus & Ptolemæo rege Ægypti, & Attalo rege Asiæ, & Ariarathe Cappadociæ, bello à Demetrio lacessiti Antiochenses, subornant propalam quendam sortis extremæ iuvenem, qui Syriæ regnum velut paternum armis repeteret; & ne quid contumeliæ deesset, nomen ei Alexandri indebatur. Tales larvæ principum omni ævo spectatæ. Sic apud Tacitum Pseudo-Agrippa, Pseudo-Drusus, apud Suetonium Pseudo-Nerones, apud Valerium Maximum Pseudo-Ariarathes. Etiam in Floro, & præsertim Lipsii monitis Politicis, aliisque scriptoribus talia exempla plurima occurrunt: & ab eo, quod sibi accommodaverunt schemate, signantur. Huius commenti origo, partim est ab ambitione propria eiusmodi scelestorum hominum, quæ maximorum malorum magistra & artifex; partim ex artificio, & veluti Magia aliena, cum æmuli aut inimici principes populive, in alium principem eiusmodi larvam adornant, & tanquã spectrum emittunt. Memorabilis cumprimis est Perkini historia, qui se Richardum IV. Angliæ Regem ferens, miris turbis regnum, regemque legitimum Angliæ Henricum VII. adiutus à magnis principibus, diu vexavit. Vindicta autem plerumque atrox & manifesta sequitur, partim Deo non ferente suæ imaginis insignia larvis & spectris aptari; partim principibus ipsis sacra maiestatis violata, prudenti severitate ulciscentibus. & rem certè indignam facit princeps, qui in alium principem tale prodigium subornat.

Iustinus lib. 35.

Franc. Bacon. de Verulamio.

Hereditas Attali.

ATtalus Asiæ rex ante mortis obitum P. Romanum heredem instituit, regnumque Romanis tradidit.

Iust. l. 36.

Quæstio super hac re politicis nascitur; an rex alteri regnum testamento possit tradere, alterve iustè accipere possit. Ex parte Attali respondetur, verum quidem pauca dari regna, quæ pleno iure proprietatis sunt, sed interim illos plane errare, qui oppugnāt, nullum regnum testamento posse tradi, quod *Hugo Grotius* multis accuratèque ostendit. Nam Attali regnum proprii iuris fuit, ut plerorumque orientalium imperia: in contrarium autem non potest ostendi, quod regnum non plenissimè possederit Attalus. Valerius Maximus ait: Attalus testamenti æquitate gratus Asiam populo Romano legavit. Quod autem hic Justinus de eo narrat, quasi non fuerit satis compos mentis, videtur potius ad acerbitatem animi referendum, nam legitur ærariæ artis fabricæ se tradidisse, matri sepulchrum facere instituisse, quæ sane hominis sunt ratione utentis. Ex parte autem Romanorum nemo dubitat, quin iustè acceperint regnum. Si enim Attalus iustè potuit regnum tradere, multò magis illi meliore iure accipere potuerunt. Vnde gloriati sunt Romani, quod sub bonorum nomine etiam regnum complexi sint. Quod autem Spurium reliquerit, nihil ad rem facit, nullibi enim nisi legitimus hæres admittitur. At enim ipse eventus potest arguere Romanos? quod rem non minuit, nihil enim ex eventu iudicandum, & præterea non hæreditas, sed Romani ipsi in culpa, qua talem exitum meruerunt.

de Iure belli lib.1. cap.3.12.

Vide Florum c. 11.

Fatalis æmulus Romanorum Mithridates.

VErba egregiæ observationis è recentioribus proponit Thuanus: cuius in apparatu Historici operis, de temporum regnorumque, qualis tum erat, statu, præclarum est iudicium: *Ita divino consilio provisum arbitror, ut tot magni Principes eodem tempore orbem terrarū moderarentur, ut quisq; eorū æmulatione aut metu æmuli in officio se contineret, & alterius virtus contraria alterius virtute, quo minus licentiosa evagatione se effunderet, inhiberētur.* Exemplum hoc loco in autore nostro occurrit Mithridates, qui quasi fatalis æmulus Romanorum ortus. Nam eius magnitudo ea fuit,

Iustin. lib. 37. cap. 1. & seqq.

fuit, ut non sui tantū temporis, verum etiam superioris ætatis omnes reges maiestate superaverit, bellaque cum Romanis per 46. annos varia victoria gesserit. Sic in Germania Ariovistus Romanos magnitudine sua ac opulentia ita vexavit, ut vitiis imbuti, virtutis admonerentur. Sic Maroboduus gravis hostis, ad similem magnitudinem potentiamque evectus, illis multum terroris incussit. Hæc autem eo pertinebant, ut punirentur vitia Romanorum. Nam in exemplo Mithridatis Romanorum vitia partim punita sunt successibus regiis : partim fragilitatis humanæ eos sic admonere oportuit, ut crederent, se non invictos esse.

Oratio Mithridatis conversa,

AN liceat orationes Historico operi suo interponere extra dubium ferè : exempla enim antiquissimorum historicorum in promtu sunt, quorum summus est Titus Livius, qui copia concionum cæteros exsuperat, tam obliquarum quam directarum. Et licet Trogus directas in eo reprehendat, tamen facile à Vossio defenditur. Hoc tantum breviter notandum occurrit, in orationibus longioribus, obliquam haud ferme admitti posse, cum gravior & asperior esset altera. Cæterum hinc consilium natum est convertendi orationes: cuius exercitii mentionem facit Cicero & Quintil. quos hac vice in convertenda Mithridatis oratione sequar. *Optaveram*, ut de eo consulendi licentia daretur, bellone Romani petendi sint, an pace iungendi : an verò illis qui nos impugnant resistere debeant, neque illi dubitant, quibus nulla spes victoriæ. Nam adversus latronem ferrum ab omnibus, licet non ob salutem, tamen ob ultionem stringitur. Cæterum cum non id agamus, an quiescere liceat, cum illi non tantum animo hostili in nos ferantur, sed etiam prælio congressi sunt; consuli debet, qua ratione ac spe cœpta bella ab ipsis non deserantur. Si autem illi animum, ego victoriæ fiduciam habeo, nam quod Romani vinci possint, non ego magis quam ipsi milites certum habent, à quibus & in Bithynia Aquilius & Maltinus in Cappadocia fusi sunt. At audio, si quis forte alienis ma-

Iustin. lib. 38.

de arte histor. cap. 21.

gis

gis exemplis,quam ſuis experimentis movetur, Pyrrhum Epiri regem non amplius quam quinque millibus Macedonum inſtructum,Romanos tribus præliis fudiſſe. Etiam Annibalem ſexdecim annis Italiæ victorem incubaſſe, ita ut haud procul abeſſet,quin ipſam urbem caperet; quod etiam Romani non ſuis viribus averterunt, ſed domeſticæ æmulationes, ac invidiæ ſtudia. Memoratur olim ingreſſis Italiam tranſalpinæ Galliæ populis, maximas plurimasque urbes ab ipſis poſſeſſas, latiusque aliquando ſolum finium quam in Aſia alias imbelli,ut appellant,eosdem Gallos occupaſſe. Nec victa ſolum Roma à Gallis dicitur, ſed etiam capta, ita ut unus tantum mons intactus relinqueretur. Hoſtem illi non bello, ſed pretio removerunt.Gallorum autẽ nomen,quo ſemperRomani deterrebantur in partem virium mearũ coniunxi. Hi enim Galli à quibus Aſia incolitur, ab illis,qui Italiam occupaverant, ſedibus tantum diſtant, neq; enim originẽ ac virtutem genusq; pugnæ mutarũnt. Tanto hi ſagaciora quam illi ingenia ſortiti,quanto longiori ac difficiliori ſpatio, per *Illyricum* Thraciamq; progreſſi, cum penè operoſius tranſierint eorum fines,atque poſſederint, quam iſtas,ubi conſederunt. Jam audio, ipſam Italiam ab urbe conditâ nunquam ſatis Romanis pacatam fuiſſe, ſed aſſiduis bellis per omnes annos alios pro libertate, quosdam etiam pro iure imperii continuè pugnaſſe. Multas quoque Italiæ civitates Romanorum exercitus ferro cecidiſſe, quasdam novo ignominiæ ritu ſub iugum miſiſſe. Ac ne veteribus diutius inhæream exemplis, hoc ipſo tempore univerſa Italia belloMarſico arma corripuit; nec iam pro libertate quidem, ſed imperii civitatisque conſortio. Grave eſſe vicinum Italorum bellum: verum acrius principum factionibus diſtrahi, maiusque diſcrimen à civili, quam Italico imminere bello. Præterea à Germania Cimbri, innumerabilis ſæviſſimarum gentium multitudo,turbinis modo in Italiam irrupit.quorum ſingulis bellis licet Romani pares eſſent,univerſo tamen obrui: indeque armis in me expediendis minimè vacaturi. Tempori igitur & occaſioni præſenti inſerviendum, rapiendaque virium incrementa, ne ſi dum occupati ſint, quieſcamus, mox quietis maiori negotio occurrendum ſit. Non enim quæritur an arma capi de-

debeant,sed utrum mea potius occasione, an illorum. Tunc enim bellum mihi indixisse videntur, cum pupillo maioré Phrygiam eripuerunt, quam pater meus loco præmii oblatum adversus Aristonicum auxilium,ab iis acceperat; quæ gens & proavo meo Mithridati à Seleuco Callinico in dotem oblata est. Et quod me regno Paphlagoniæ cedere iusserunt, nonne alterum bellum nominari meretur.Hanc certè non vis,non arma, sed adoptio testamenti,& regum domesticorū interitus,hereditate patri meo reliquit; cum inter tot acerba decreta parendo nihil proficeré,ut eos mitigarem,sed ut acerbius indies se gererent,assecutus sum. qua enim in re obsequens illis non fui? non Phrygiam Paphlagoniamque dimisi? non filium Cappadocia eduxi, quæ iure gentium à victore occupata fuit.

Illi tamen victoriam eius mihi eripuerunt, qui nihil nisi quæ bello acquisiverunt,possident. Non Chrestos Bythyniæ rex,in quem à senatu arma decreta sunt, in gratiam illorum occisus? tamen nihilominus facta Gordii aut Tigranis mihi affinguntur. Libertatem in contumeliam mei senatus ultro Cappadociæ obtulit,qua reliquas gentes privarunt: Deinde cum populus Cappadocum,loco libertatis oblatæ Gordium sibi Regem dari oraret, non obtinuit, quia amicus meus erat. Jussu illorum bellum mihi à Nicomede illatum est, cui, cum iniurias ultum irem, obviam processimus, & causa bellandi mecum hæc erit, quod ego me non impunè Nicomedi saltatricis filio præbuerim diripiendum: quippe non peccata regum,sed vires ac maiestatem insequuntur: neque in me uno,sed in aliis omnibus hac arte grassandi semper usi sunt. Sic cognationum arbitriis avus meus Pharnax regis Pergameni Eumenis successor destinatus: Sic rursus Eumenes, cuius classes eos primum in Asiam transvehebant,cuius exercitu magis quam suo, & Magnus Antiochus, & Galli in Asia.& mox in Macedonia rex Perses domitus est; huic tamen ut hosti Italia interdicebatur: & quod ipsos patrem invadere pudebat, postea filium bello petebant. imò nullius maiora merita esse quam Masinissæ regis Numidarum ipsi fatentur, adeò ut etiam victoriam de Annibale huic assignent, huic captum Syphacem, Carthaginemque deletam acceptum ferant. Hic licet tertius ser-

 vator

vator urbis inter duos Africanos numeratus fuerit, tamen cum nepote eius bellum inexpiabile gesserunt, ut ne victo quidem ob memoriā patris parcerent, quin carcerem & triumphi spectaculum experiretur. Hæc lex odiorum omnibus regibus dicta est: scil. quia ipsis tales reges erant, quos etiam nominare illos pudet, nimirum aut pastores Aboriginum, aut aruspices Sabinorum, aut exules Corinthiorum, aut servi vernæq. Thuscorum, aut qui omnium honoratissimus titulus est, Superbi. atque ut ab illis ipsis traditur ubera lupæ conditores suos aluisse: sic omni illi populo luporum animi sunt, qui sanguine atque imperio, divitiarumque aviditate, expleri nequeunt. Ego seu nobilitatis genere, cum illis conferor, clarior illa colluvie convenarū sum; qui, quod paternos maiores attinet, stirpem à Cyro Darioque Persici regni conditoribus traho: ex parte autem maternorum maiorum genus meum ab Alexandro Magno, Nicatore Seleuco, qui imperium Macedonicum condiderunt, duco: seu populum illorum cum meo comparem , & par Romano imperio invenietur, & Macedonico obsistere ausus. Nullæ ex subiectis mihi gentibus expertæ sunt exterorum imperia: Nullos enim nisi domesticos reges habuerunt, sive dicatur de Cappadocia aut Paphlagonia, aut de Ponto aut Bithynia: itemque Armenia maiore minoreque, quas nec Alexander ipse, à quo tamen Asia pacata fuit, nec quisquam ex successoribus eius attigit. Duo omninò recensentur Reges, qui Scythiam non subigere, sed intrare tantū ausi, Darius scilicet & Philippus, qui ægre saluti suæ fuga consulerunt: hæc vero magnam mihi virium partem in Romanos suppeditat. Multoq; maiore cum timore ac diffidentia bella Pontica ingressus sum, cum rudis adhuc ac tyro essem. Scythis non solum arma, sed etiam virtus animi est, quibus se instruunt: Accedunt locorum quoq; munimenta, solitudines nimirum ac frigora, quæ magnum militiæ laborem ac periculum significant: quarum difficultatum præmium nullum esse cum hostis vagus pecuniaq; & sede inops sit. Adiecit, nunc diversam belli conditionem se ingredi. Asiæ enim, in quam bellum transferendum, cœli temperie, soli fertilitate urbiumque multitudine nullam regionem conferri posse: ibi eos magnam temporis partem , non ut militiam,

tiam, ſed ut feſtum diem acturos, bello dubium facili magis an uberi: ſi modo de proximis regni Attalici opibus, aut veteribus Lydorum Joniumq; quid audierint; has non ut expugnet, ſed ut poſſideat ſe venire. Tanta cum cupiditate Aſiam ſe deſiderare, ut etiam vocibus appellet: rapacitatem Proconſulum, ſectionem publicanornm, calumnias litium, huius in Romanos odii fomites. Nec quidquam aliud exigo, quam ut fortiter me ſequamini: præſtabo ſane ut intelligatis, quid me duce tantus exercitus poſſit, qui vidiſtis meamet unius opera ſine ulla militum manu Cappadociam cæſo rege captam, qui me ſolum mortalium pontũ Scythiamque, cuius nec tranſitus, nec aditus ulli tuto patebat, paviſſe, ſcire poteſtis. Nam iuſtitiam & liberalitatem meam, qui aſſeruit, nulli magis idonei teſtes, quam ipſi milites, qui eam quotidie experiuntur. Præter hos autem & hæc indicia ſunt, quod unus regum omnium non paterna ſolum, ſed etiam externa regna per hereditates ob munificentiam delatis acquiſiverim, ac nunc poſſideam, Colchos, Paphlagoniam, Boſphorum. Et hæc Miithridaticæ orationis converſio eſt, quæ licet exigua, tamen Primitiarum veniam facile impetrabit.

Fatum Regni Syriæ.

DEmetrius Syriæ rex cum Ægypto bellum inferre ſtatuiſſet, Syria defecit, regemque accepit Alexandrum negotiatoris filium, à quo victo iterum defecere. Denique ipſa aſſiduis prælüs ita conſumta, ut in contemtum finitimorum venerit, & ab imbelli antea gente, Arabibus nimirum infeſtata fuerit. *Iuſtin. lib. 39. & 40.*

Harum diſcordiarum cauſæ ſcelera fuere, quæ ut perpetrata, ita etiam punita ſunt. Sic enim Demetrius reſtitutus in regnum dum aliena affectabat, ipſe ſua amiſit. Alexander deinde negotiatoris Ægyptii filius à Ptolemæo Ægypti rege ſubornatus, quaſi ab Antiocho per adoptionem receptus, regnum invaſit. Mox verò ut meruerat miſerabilem pœnam luit. Poſtea Grypo qui regnum Syriæ deſtruere conatus eſt, æmulus eſt natus Cyzicenus frater, qui ſecunda congreſſione victus ab eo, victorque uxorem Grypi Tryphenam, quæ paulò ante ſororem interfecerat,

 cerat,

cerat, capit; eiusque supplicio uxoris manibus parentavit. Ipsa denique Syria variis casibus pœnam tantorum scelerum ita non effugit, ut contemtus omnium finitimorum fieret, & ab gente alias imbelli infestaretur.

Insigne igitur documentum, quomódo scelera sceleribus puniantur. Nam

Senec. in Hercul. furente.

Quod quisq; fecit, patitur, auctorem scelus
Repetit, suoq; exemplo premitur nocens.

Exempla sunt in promtu. Romulus enim nec ipse ob fratrem occisum naturali morte obiit. Et Julius Cæsar domitor gentium, bellis civilibus Pompeium eiicere studens, ipse violenta morte sublatus.

Parthorum Mores examinati.

Iustin. lib. 41.

PLurium volumina leguntur, qui de legibus moribusque scripserunt gentium, quorum, ni quà utiles inutilesve sint, consideremus, perexiguus foret usus. Examinabimus igitur oblata occasione leges & mores Parthorum. Vituperari autem præsertim hæc in iis possunt. quod illis fides dictis promisisque nulla, nisi quatenus expedierint: Ad hoc in libidinem magis proiecti quam in cibum, quod corruptissimæ civitatis indicium est. Cæterum quod militiam attinet, negari non potest, quin fuerint bellicosissimi, liberos enim statim à cunabulis ad exercitia equestria & militariâ adhibuerunt, eosque equitare, iaculari, magna industria docuerunt. Sed quod memorabile in ipsis occurrit, exercitus eorum non ut aliarum gentium, liberis, sed maior pars servis constabat. quare etiam mirabili arte bellandi, sed nequaquam laudanda, usi sunt, & tantum procurrentibus equis aut terga dantibus pugnarunt. Nam cominus præliari ignorabant, neque diu pugnam sistebant. Sed quidquid sit, tamen res militares ita floruere, ut omnis auri argentique usus in armis esset, & ad conservandam eam, quisque ut locupletissimus erat, plures equites præberet. In hoc tantum militiæ morem non observasse videtur, quod vulgo occisorum corporum sepulturam aut avium aut canũ laniatum esse passi fuerint. Sed ut de vestimentis & ami-

ctu eorum, quædam addam, hoc, quod Justinus noster etiam ait occurrit: Vestes olim sui moris; posteaquam accessere opes, ut Medi perlucidam ac fluidam habuisse. sed de his doctè & copiosè, ut solet Barnabas Brissonius in suis de Regio Persarum Principatu libris.

Iason sive expeditio Argonautica.

IAson, cum Peliæ regi ob insignem virtutem suspectus esset, denunciata militia in Colchos abire iussus: ut in tam periculoso *Iustin. lib.*
itinere decederet. Sed ille exercitum fortissimorum virorum, *42.*
qui ad eum confugerant, comparavit, eumque incolumem post magnam expeditionem reduxit: De hac expeditione multi dubitant, an vera Historia sive conficta fabula sit. De vellere verò aureo operæ pretium erit audire, quæ doctissimus Vossius refert: Originem fabulæ velleris aurei, ut eam Mela vocat, belle nobis *Lib 1. de orig. & progressu Idolatria.* enarrat doctiss. Varro &c. *De Antiquis illustrißimus quisq; pastor erat, ut ostendit Græca & Latina lingua: & veteres poetæ, qui, alios vocant πολύαρνας alios πολυμήλους, alios πολυβούτας: qui ipsas pecudes, propter caritatem, aureas habuisse pelles tradiderunt: ut Argis Atreus, quam sibi Thyestem subduxisse queritur: ut in Colchide Aetæ, ad cuius arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ: ut in Libya ad Hesperidas, unde aurea mala, id est, secundum antiquam consuetudinem, capras & oves, quas Hercules ex Africa in Græciam exportavit.* Nam tamen solas ob pecudes, ut arbitror, Argonautæ profecti: sed per eas συνεκδοχικῶς intelligere oportet opes regis universas, imprimis verò thesaurum illũ, quem Phrixus, Athamantem ac novercam fugiens, in Cochlidé deportarat. Hos enim consangvinei Phrixi, ante omnes autem Jason, prognatus Æsone, fratre Phrixi huius patruele, non absurde reposcebat. Nam verisimile est, eos fuisse partim ex bonis Nepheles matris: partim, quia eius domos & agros auferre non poterat, ex pecuniis Athamantis patris, & novercæ Jnûs. Eos quoque velleris aurei nomine vocarunt, quia ex pecudibus pecunia compareatur: eoque & pe-

Porrò templum hoc Phrixi, etiam post ablatos è Colchide thesauros ab Argonautis, magno semper loco habitum est, idque propter Argonauticam expeditionem. Dives etiam fuit: sed Augusti ætate omne eius aurum direptum, prius à Pharnace, postea item à Mithridate Pergameno: ut auctor est Strabo undecimo.

Sceptrum insigne regium.

Iustin. lib. 43. cap. 3. *Bulinger. de I.R. lib. V, cap. 23.*

MEmorat Justin⁹ hoc in libro de Sceptrorum genere, quod nihil aliud est, *quam Symbolum regni, Iustitiæ legum, & concionis ad populum*: imò ipsum imperium denotat. quod Suidas βασιλικὴν ῥάβδον interpretatur. Fuit autem primum insigne Deorum. Nam ab origine rerum pro diis immortalibus veteres hastas, quæ nunc sceptra vocantur, coluere: ob cuius religionis memoriam postea Deorum simulachris hastas addiderunt, per quas etiam iurarunt. Deinde illud insigne ad iudices translatum est, qui à Jove leges servarunt. Cum quo etiam consulares aut duces curiam inibant. Sceptrum verò, ut hodie vocatur, in regibus nihil aliud significat, quam antiquissimum apud omnes gentes regiæ dignitatis signum & ornamentum: quod olim etiam feminæ tulerunt.

Limnæus de I. P. lib. 2, cap. 4.

Geryonis Historia sive fabula.

Iustin. lib. 44, cap. 4.

INter alia autor noster Geryonem regem Hispaniæ dicit. Cuius mentionem etiam faciunt scriptores Hispaniæ illustriores. Quapropter hac occasione eius historiam repetere decrevimus. In illa parte Hispaniæ, quæ insulis & magna pabuli lætitia constat, regnum penes Chrysaorem Geryonis patrem, deinde apud eiusdem Chrysaoris filium Geryonem fuit, qui erat ditissimus rex pecudibus & armentis, in quibus pro tempore hominum divitiæ consistebant, quia pecuniarum usus nondum erat. Huius igitur Geryonis divitiis allectus Hercules, ut eum suis armentis spoliaret, in Hispaniam venit. Vbi ille cum fratribus potentia & peritia rerum bellicarum insignibus, Herculi sponte bellum in-

indixit; quos Hercules cum magnis copiis profectus, primum in conflictu vicit, deinde singulari certamine singulos occidit. Hunc Geryonem Poetæ tricipitem, id est, tria tenentem capita descripserunt. Causam insuper quare hunc sic Poetæ descripserint, ad nectit Justinus. *Geryonem ipsum non triplicis naturæ, ut fabulis proditur, fuisse ferunt, sed tres fratres tanta concordia extitisse, ut anima una regi viderentur.* De armentis Geryonis, quæ Justinus hic prodit, Strabo fabulam confictam affirmat: idem indicare videtur *Plinius*, Arrianus autor Græcus non solum est in eadem opinione, sed etiam astruit nullum in Hispania regem Geryonem natum fuisse.

Ovid. Metamorph. l. 9 Virgil. in Aeneid. c. ap. 7.

Plin. 4, 22. Arrian l. 2 de reb gestis Alexandri M.

Continuatio Collationis

PISISTRATI.

Thucyd. l. 6. de Bello Pelop.

Longissimo tempore hi Tyranni virtuti prudentiaq; incubuerunt & c urbem verò egregiè ornarūt, bella gesserunt, & insanis sacra fecerunt: in cæteris civitas pristinis suis legibus utebatur: nisi quod ut semper aliquis ex suis in magistratu essent, curabant.

Plutarchus in Solone.

Promtus subvenire egenis. quo etiam spectat illud apud Athenæum lib. 2. *hortis prædiisque custodes nullos*

AVGVSTI.

Tacit. 1. A. 2.

Insurgere paulatim, munia Senatus, Magistratuum in se trahere nullo adversante &c. Cæteri Nobilium, quanto quis servitio promtior, opibus & honoribus extollebatur. Dio l. 53. Non omnia proprio consilio egit, sed publicè deliberanda proposuit, &c. tamen nihil præter voluntatem Augusti agebatur.

Tacit. 1. A. 2.

Populum annonâ, &c. pellexit.

Ælian. lib. 9. c. 24.

Pisistratus accersi iubebat eos, qui in foro deambulando atque otiando tempus tererent &c. simulque dicebat: si tibi boves aratores mortui sunt, de meo cape &c.

De *moderatione animi, humanitate* plura exempla extant apud Valeriũ Maximum lib. 5. cap. 1. Senec. lib. 3 de Ira. cap. 11. Plutarch. apophtegm. tom. 1. p. 321. Valerius tandem concludit loc. cit. *si nihil aliud dignum honore vel memoria gessisset, his tamen factis abunde se posteritati commendasset.*

Justin. lib. 11.

Obtinet ad custodiam corporis sui satellitum auxilium.

Herodot. lib. 1.

Pisistratus Athenienses in fugam vertit; consiliumque cum sic fugerent, prudentissimum excogitavit, ut nec amplius caperentur Athenienses & dispersi tamen essent. Filios equis impositos præmisit: qui fugientes, assecuti, dicerent ipsis, vellent bono animo esse, & ad sua quisq; abirent. Cumq; dictis Athenienses auscultarent, tertium potitus Athenis, tyrannidem stabilivit.

Sueton. c. 42.

Impetum cepit frumentationes publicas in perpetuum abolendi; quod earum fiducia cultum agrorũ cessaret &c. Atque ita post hanc rem temperavit, ut non minorem aratorum quam populi rationem duceret.

Sueton. c. 54. 55.

Nec ideo libertas aut contumacia fraudi cuiquam fuit. Etiam sparsos de se in curia famosos libellos nec magna cura redarguit. Ac ne requisitis quidem auctoribus &c. Dio. lib. 56. Iniurias acceptas non immodica ira prosecutum memoratur.

Dio l. 53. p. 503.

Tunc statim futuris eius stipatoribus, quo accuratiori custodia nimirum munitus esset, duplex eius quod reliquis militibus pendebatur, stipendium ut daretur, decretum est.

Senec. l. 1. de Clem. c. 10.

Ignovit Abavus tuus victis. Nam si non ignovisset, quibus imperasset? Sallustios & Cocceios & Duillios & totam cohortem primam interioris admissionis ex adversariorum castris conscripsit &c.

Laer-

Laertius in vita Solonis.

Ex epiſtola Piſiſtrati ad Solonem prohibentem ab inſtituto. *Tibi equidem nihil ſuccenſeo, quod mentem meam conſiliumque detexeris, quippe qui id potius Reipubl. ſtudio civitatis, quam mei odio detexeris.*

Dio lib. 52. p. 493.

Neque verò minori Agrippa, *qui pro Republ. peroravit*, quam contrariam ſententiam in hoc exequendo eſt uſus induſtria.

Valer. Max. l. 8. c. 9.

Piſiſtratus dicendo tantum valuiſſe traditur, ut ei Athenienſes regium imperium oratione capti permitterent.

Dio l. 53. p. 503.

Hac arte *ſcil. orationis de deponendo imperio habita*, Cæſar, cum ſe velle imperium deponere ſimulaſſet, effecit, ut ei à Senatu populoque confirmaretur.

Ariſtoteles 5. polit. c. 12.

Piſiſtratum cum aliquando in ius vocatus eſſet in Arveo pagum, id tuliſſe ferunt.

Auguſtum poſt Actiacam victoriam non quidem ut reum: attamen ut Advocatum *in forum veniſſe & cauſam hominis egiſſe* ex Dione lib. 55. pag. 550. 551. & Sueton. cap. 56. conſtat: & ut Actorem, ex Suetonio, cap. 66.

Thucyd. l. 6.

Piſiſtrato iam SENE defuncto. Val. Maxim. lib. 8. cap. 9. *Fertur quidam cum &c. iuvenis Piſiſtratum IAM DECREPITVM concionantem audiſſet &c.*

Dio lib. 56. p. 590.

Vixit annos 75. menſes 10. dies 26.

Finis Partis Poſterioris.

I.

Nobilissimo Domino Respondenti,
Amico suo perdilecto.

INclyta Nobilium acta probè cognoscere, magna
Laus est; sed maior, talia facta sequi.
MOCKELI, dum nunc specimen laudabile præbes
Ingenii & studii, dulcis Amice, Tui;
Sat Te nosse probas, præclarè talia facta,
Sed fac, ne sola cognitione scias.
Quin & agas cura quidquid laudabile. Namq;
Dum scis, laudaris; sed mage, dum sequeris.

Imque hæc apposuit

Johannes Fridericus Kraut/
Argentinensis.

II.

MEns tua, quæ sese latebris abscondere nescit,
Arma virosque canens, arma virosque petit;
Resve, tuæ quæ sunt famæ dignissima tractas:
Idcirco totus nobilitate cluis.

Amica manus apposuit
M. Abrahami Fischeri.

III. Kling-

III.

Kling-Gedicht.

SO/Bruder/soll es seyn/ so wills die Tugend haben/
Die sich in dein Gemüht gantz inniglich gesetzt/
Vnd dich an kluger Witz nun für vnd für ergötzt/
So/ sag ich/muß es seyn; dann/wann sie ihre Gaben
Schon einmahl in ein Hertz hat vest hineingegraben/
So gibt sie nimmerzu/ das solches werd verletzt.
Ein eyfriges Gemüht/ würd herrlicher geschätzt/
Als alles wehrte thun/daran man sich erlaben
Vnd über alle Maaß sonst auch ergötzen kan;
Wohlan! so hastu recht/Herr Mockel/ ietzt gethan/
Daß du dich auß dem Weg der Eitelkeit geschwungen/
Drumb wird dein Tugend-lob itzt für vnd für gesungen/
Das gantze Musen-Heer das frewt sich über dich/
Vnd spricht/ Glück vnserm Sohn! Glück dir mein ander
(Jch.

Wünschet von Hertzen

J. H. K.

IIII.

Nobilißimo, multa eruditione claro & eximio Dn. Respondenti, Amico & cognato perdilecto.

IVstinus in suo quod exhibet libro,
Laudare dignum, fratre cum charo eruis,
Amice singulariter dilecte mi,
Non absque laude, vestra namque cernitur

Hoc summus & clemens Tibi fratrique det
JEHOVA, mente totâ precor, & altior
Vestra & profundior scientia indies
Evadat, &; si debitam pervenerit
In magnitudinem, Parentibus
In gaudium, atque publicæ cedat rei
In commodum, quod faxit alma TRINITAS!

gratulabundus f.



Iohannes David Cummurell.

